

No 62.

DUKE
UNIVERSITY
LIBRARY

Treasure Room

Collection Complete.



DEORVM DEARVMQVE CAPITA,

Ex antiquis numiſmatibus
ABRAHAMI ORTELII
Geographi Regij collecta,
Et
Hiſtorica narratione
illuſtrata
A
FRANCISCO SWEERTIO F
Antuerpienſe.

ANTVERPIÆ,
Apud Ioannem Baptiſtam Vrintium.
ANNO CIↃ.IↃ.CII.

Cum gratia & Priuilegio.

RBR
077DE

CLARISSIMIS VIRIS SENATORIIS

D. NICOLAO ROCKOXIO,

Equiti aurato,

ET

FRANCISCO SCHOTTO I.C.

Franciscus Sweertius F.

S. D.

PRODIBVNT vobis auspicibus, Viri Clarissimi, DEORVM DEARVMQVE CAPITA, olim quidem ex ABRAHAMI ORTELI fel. mem. Geographorũ Principis ac ciuis nostri museio in lucem data, sed muta illa, & nullo alio verborum aut historiarum splendore collustrata; quod merito quispiam ægrè mecum ferre potuisset, qui loquentes picturas audire potius, quàm tacitã aliquam

poëſim vellet intueri. Quid facio? tam iuſto aliorum meoq; deſiderio facturus ſatis, quo primùm tempore licuit manum operi admoueo, elingues ſtatuas æri inciſas animo & prouoco ad loquendum. Audax conſilium, nec tamen irritum. En ſuam quæque, noſtro ſtudio, authorum ſubſidio, Genealogiam, naturam, in inuentione ſolertiam & cognomenta ediſſerit. Subiuncta eſt adhæc Mythologia; ne quid eſſet quod ab humanitatis ſtudioſo poſſet deſiderari; niſi fortè prolixiorem, ſui temporis quiſpiam nimium prodigus, commentarium & Fabularum expoſitionem efflagitet. Sed quid neceſſum fuit? An non factum ſatis, cùm ad fontes digitum intendi, in tanta præſertim diſcrepantium opinionum multitudine, vbi Græci à Latinis, & à ſe ipſis tam frequenter abeunt, diſſidentq; ? Accipite igitur & more veſtro excipite Viri Senatorij, hos qualeſcunque

cunque conatus noſtros. Permitte NICOLAE ROCKOXI, libellum iſtum in tua officina, à numis, ſimulachris, iconibus, codicibus, nuperis, antiquis, inſtructiſsima, locum aliquem tenere. Tuque FRANCISCE SCHOTTE defende & protege, vt aliàs optimarum cauſarum agere patronum diſertè conſueuiſti. Deum. Opt. Max. venerans precor, vt vos & Remp. noſtram diu ſeruet incolumem. Valete. Antuerpiæ Ambiuaritorum. Anno reparatæ ſalutis CIↃ. IↃ. CII. Ipſo D. Auguſtini feſto.

SCRIPTORVM VETERVM ac recentium, qui ex professo Deorum Gentilium Historias vel Imagines descripserunt, Elenchus.

VETERES.

Apollodorus Athenienſis, de Deorum origine.
M. Tullius Cicero, de naturâ Deorum.
Phurnutus, ſiue, vt alii, *Cornutus*, ſpeculatio de Deorum naturâ.
Philoſtratus, de Iconibus.
C. Iulius Higinus, Fabulatum liber.
Albricus Philoſophus, de Deorum Imaginibus.
Pauſanias in ſua Græcia admodum frequens eſt in deſcribendis Deorum ſtatuis.

Apologiæ pro Chriſtianis.

GRÆCORVM:
Iuſtini Martyris.
Latiani.
Theophili.
Athenagoræ.
Theodoreti.
Hermiæ Philoſophi.

LATINORVM:
Tertulliani.
Cypriani.
Auguſt. de Ciuit. Dei.
Minutii Felicis.
Arnobij.
Lactantij.

NEOT-

Ioannes Bocatius, de Genealogia Deorum.
Lilius Gregorius Gyraldus, de Diis gentium.
Iulianus Aurelius, de cognominib. Deorum.
Georgius Pictorius, Apotheosim.
Melchior Barlæus Antuerpianus, de Diis gentium lib. III. carmine Elegiaco.
Vincentius Catarrus, de imaginib. Deorum Italicè.
Gulielmus Choulius, de Imaginibus Deorum & natura Gallicè.
Vlyſſes Aldroandus, de ſtatius vrbis Romæ Italicè.
Fuluius Vrſinus Romanus, de familiis Romanorum, & Imagines Heroum.
Antonius Auguſtinus, XI. Dialogis Antiquitatum Hiſp. & Italicè.
Epitheta Deorum Græca *Conradi Dinneri.*
Latina *Ioannis Rauiſii*, & *Baſilii Zanchi.*
Ioannes Goropius Becanus multa de Diis in operib. ſuis.

DEORVM

DEORVM DEARVMQ. CAPITVM INDEX.

Aesculapius.	I. 1.	Libertas.	P.1.
Apollo.	C.2.	Libera.	P.2.
Apollo.	C. 3.	Mars.	E.3.
Bacchus.	I. 4.	Mercurius.	E.2.
Bonus euentus.	M.1.	Moneta.	F.3.
Canopus.	I.2.	Neptunus.	D.2.
Castor & Pollux.	K.4.	Neptunus.	D.3.
Ceres.	G.2.	Pallas.	G.4.
Ceres.	G.3.	Pan.	K.2.
Clementia.	P.4.	Pax.	O.3.
Concordia.	O.4.	Penates.	L.1.
Cupido.	K.3.	Pietas.	Q. 1.
Cybele.	E.4.	Pluto.	D.4.
Diana.	H.2.	Quirinus.	L.2.
Felicitas.	O.1.	Roma.	N.2.
Feronia.	F.4.	Salus.	Q.4.
Fides.	O.2.	Sarapis, seu Serapis.	I.3.
Flora.	Q. 4.	Saturnus.	B.1.
Fortuna Antias.	M.4.	Sol.	C.4.
Genius Pop. Rom.	L.3.	Sol inuictus.	D.1.
Hercules.	K.1.	Sors.	M.3.
Honor.	M.2.	Spes.	P.3.
Ianus.	H.4.	Terminus.	L.4.
Isis.	N.1.	Ve Iuppiter.	C.1.
Iuppiter.	B.2.	Venus.	H.1.
Iuppiter Ammon.	B.3.	Vesta.	G.1.
Iuppiter Anxur.	B.4.	Victoria.	Q.3.
Iuno Regina.	F.1.	Virtus.	N.3.
Iuno Sospita.	F.2.	Vulcanus.	E.1.
Iustitia.	N.4.		

DE ABVSQVE IN GENERE.

QVONIAM omnis, quæ à ratione ſuſcipitur diſputatio, (teſte Cicerone) debet à ratione proficiſci, DEVM (quem à δέομαι quidam deriuant) in Somnio Scipionis ſic definit: *Qui viget, qui ſentit, qui meminit, qui prouidet, qui regit, qui moderatur, & mouet mundū, cui præpoſitus eſt.* Obſeruāt autē curioſi, Dei nomen TETRAGRAMMATON omnium pœne gentium linguis eſſe.

Innumerabiles Deos vana quadā ſuperſtitione Gentes finxerunt, vt omnibus humanæ vitæ miniſteriis etiam viliſsimis, Deos præficerent. M. Terentius Varro togatorum doctiſsimus, ſex Deūm millia, Ioues etiam trecentos enumerauit. Ex his alij maiorum minorumque Gentium, id eſt, ceteris plus minuſue præſtantes, quomodo & Romæ maiorum minorumq. gentiū Senatores, teſte Tacito, à Romulo ſunt inſtituti. Maiorum autem Gentium Deos XII. Q. Ennius apud Appuleium hoc diſticho complexus eſt:

Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Minorum gentium Dii, *Medioxumi*, & *Semones*, quaſi

semihomines atq. herões, ex hominib. in Deos relati, ob rem aliquã humano primùm vsui repertam, vt *Liber, Hercules, &c.*

Selecti quoque à Varrone Dij recensentur, *Ianus, Saturnus, Genius, Plutus, Bacchus, Sol, Luna, Tellus.*

Ministeriorum autem præfecti sunt, quos homines certis officiis attribuerunt: vt *Geniales*, qui gerẽdarum rerum vim obtinerent, vt fuit *Genius*, & elementa quatuor. Plura ex Varrone Augustinus, & Ianus Gulielmius Verisimil. lib. III. cap. XXI. vbi de Edusa.

Lares, qui ædium priuatarum curam gerebant.

Viales, Dii viarum, quorum in Antiq. Inscriptionib. Rom. mentio est apud Hieronymũ Suritam, in Commentario in Itinerarium Antonini Augusti.

Rurales, qui agris præerant, de quib. idẽ Varro libris de Re rustica, & Maro in Georg. qualis fuit *Pales* vnde *Palilia*, quo festo condita Vrbs Roma; *Pan, Ceres, Flora, Bacchus, Minerua, Lympha, Robigo siue Rubigo, & Proserpina.*

Indigetes, qui de Rep. bene meriti essent, in his *Castor & Pollux, Aeneas, Hercules, Romulus, & Cæsares*, Apotheosi quadã in Deos relati, cuius Apotheoseos ritum moremq. egregiè Herodianus in Seuero explicauit. Hi fere, quo maior esset auctoritas, nomina mutabant, vt hodie Pontifices ad S. Petri Cathedram euecti. Sic *Quirinus* dictus *Romulus*; *Rhea*, quæ & *Syluia, Deum mater*; *Leda Nemesis.*

Alios

Alios autem aliæ gentes Deos Deasq. propriè coluerunt, Romani *Faunum*, Veneti *Diomedem*, Pœni *Vraniam*, Mauri *Iubam*, *Isidem* Aegyptii, *Gabinum* Macedones, Germani *Thuiſconem*, alii alios.

Erant & vrbium Dii proprii ac patrii, quos & aduenas primùm ſalutare ſolitos ex antiquitate clarum eſt, vt infrà in *Genio* dicemus; hinc etiam *Tutelares* habiti. De his Tibullus:

Et tamen ante omnes Martem coluêre priores,
Hoc dederat ſtudiis bellica turba ſuis.
Pallada Cecropidæ, Minoia Creta Dianam,
Vulcanum tellus Hypſipylæa colit.
Iunonem Spartæ, Pelopeiadesq. Mycenæ,
Pinigerum Fauni Mænalis ora caput.
Mars Latio venerandus erat, quia præſidet armis,
Arma feræ genti remq. decuſq. dabunt.

Et vetus Poëta in Cuſtodem hortorum:

Dodona eſt tibi Iuppiter ſacrata,
Iunoni Samos, & Mycena Diti,
Vndæ Tænaros æquorisq. regi,
Pallas Cecropias tuetur arces,
Delphos Pythius orbis vmbilicum,
Cretem Delia, Cynthioſq. colles,
Faunus Mænalon, Arcadumq. ſiluas,
Eſt tutela Rhodos beata Solis,
Gades Herculis, humidumq. Tibur,
Cyllene celeri Deo niuoſa,

Ennæa Cererem nurus frequentant,
Tardo gratior æstuosa Lemnos,
Raptam Cyzicos ostreosa Diuam,
Formosam Venerem Gnidos, Paphosq.
Mortales tibi Lampsacum sacrarunt.

Quorum *Tutelarium* efferre nomina, ne ad hostes, qui eos euocarent, accederent, nefas putabatur, vt ex Solino polyhistore colligitur, de Valerio Sorano. Moris enim erat obsessa vrbe *Tutelares* Deos venerari, atq. euocare piaculis, ne in seruitutē quasi redigi viderentur, quib. propitiatis vrbs in hostium obsidentium potestatem citius veniret. Verg. 11. Æneid.

Excessere omnes adytis arisq. relictis
Dii, quibus imperium hoc steterat——

vbi Seruius aliiq. interpretes legendi, & Macrob. lib. III. cap. IX. Saturn. Hinc factum vt & idolomaniâ quadam Deos suos partim colligarint, ne auolarent, partim plumbo basibus affixerint: Tyrii Apollinem, quem magna veneratione tutelarem habuerunt, ne vrbem desereret, aureâ catenâ deuinxêre, vt scribit Diodorus Siculus lib. XVII. & Q. Curtius. Lacedæmonii Martis simulacrum vinculis colligabant, teste Pausania in Laconicis: Athenienses Victoriæ Deæ alas, ne auolaret, adimebant.

Arma quoq. Dii propria habuerunt, vt apud poëtam Ithyphallicum:

Fulmina sub Ioue sunt: Neptuni fuscina telum,

Ense

Enſe potens Mars eſt: haſta Mineruæ tua eſt.
Sutilib. Liber committit prælia Thyrſis:
Fertur Apollineâ miſſa ſagitta manu:
Herculis armata eſt inuictâ dextera clauâ &c.

Quin etiam arbores, de quibus Maro in Melibæo:

Populus Alcidæ gratiſſima: vitis Iaccho:
Formoſæ Veneri myrtus: ſua laurea Phœbo.

Martialis lib. 1:

Quid poſſunt hederæ Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat variàs pondere nigra comas.

Ad quem verſum Nic. Perottus Epiſc. Sipontinus hos verſus, ſiue Auieni, ſiue à ſe compoſitos (vt refert Ant. Auguſtinus V. CL. dialogo V. Antiquit.) adfert:

Olim quas vellent eſſe in tutela ſua
Diui legerunt arbores. quercus Ioui,
Et Myrtus Veneri placuit, Phœbo laurus,
Pinus Neptuno, populus celſa Herculi.

Gabriel verò Faërnus Cremonenſis in centum fabulis metro conſcriptis:

Legêre proprias Dii ſibi quondam arbores,
Quam quiſq. vellet eſſe in tutela ſua:
Quercum ſupremus Iuppiter, Myrtum Venus,
Pinum humidi tridentifer rector ſali,
Apollo laurum, populum excelſam Hercules.

DEORVM DEARVMQ.

LIB. I.

Dij Deæq. primi & magni.

Apollo.
Ceres.
Cybele.
Diana.
Feronia.
Iuppiter.
Iuppiter Ammon.
Iuppiter Anxur.
Iuno regina.
Iuno Soſpita.
Mars.
Mercurius.
Moneta.
Neptunus.
Pallas.
Pluto.
Saturnus.
Sol.
Sol inuictus.
Veiuppiter.
Venus.
Veſta.
Vulcanus.

SATVRNVS

Cœli & Veſtæ ſiue Terræ filius, quem principem Deorum vana Carthaginenſium venerata eſt religio.

SATVRNVS dictus, vt ait Iſidorus, quòd hieme, quæ illi ſacrata eſt, homines ſaturet, vel quòd annis ſaturetur, vt Cicero teſtatur, vel quòd ſe liberis deuorandis ſaturet, vel à ſatu, vt Macrobio placet, quia peritiam ruris & ſatorum primus edocuit, agroſq. ſtercorando in melius commutauit: Maro à vitibus ſatis, *vitiſatorem* nominat:

Vitiſator curuam ſeruans ſub imagine falcem.

Aurea ſub hoc rege fuiſſe ſæcula fabulantur poëtæ, vt idem Maro, Heſiodus, & Ouidius. De hoc multorum ſententias colligit Sex. Aurelius Victor libello De origine vrbis Romæ.

Κρόνος autem à Græcis dictus, quia tempori præeſt, quod illis χρόνος, vnde Naſo:

Tempus edax rerum, tuque inuidioſa vetuſtas
Omnia deſtruitis.

Hinc Luciani Cronoſolonis epiſtolæ Saturnalibus dictatæ, quò referẽda, quæ initio Saturnalium Macrob. attulit, quem feſtum diem *dierum optimum* vocauit Catullus: hinc & Liberos deuoraſſe fabulantur, pro quibus

quibus lapidem subiiciebant, qui Græce Βαίτυλος dicebatur, teste Lactantio, & in Isidori vitâ, Photio Patriarcha in μυριοβίβλῳ, quem *Terminum* putarunt esse, & *Abadir* à Latinis dictum auctor est Priscianus: *Abadir*, inquit, *Deus esse dicitur & lapis, quem Saturnus deuorasse dicitur pro Ioue, quem Græci* Βαίτυλον *dicunt.* Et Hesychius: Βαίτυλος dicitur saxum illud fasciis reuinctum, quod pro Ioue deuorasse dictus est Saturnus. Sed de Termino lapide lib. 11.

Saturni temporibus, hoc est, aureo seculo, nullus hominum carnes comedit; sed vniuersi vixerunt frugibus & pomis. Auctor mihi D. Hieron. contra Iouin.

SATVRNI.
Ex numo argenteo L.C.
Memies. Gal

Dictus quasi *iuuãs pater*, quod omnia iuuare crederetur, Rheæ Saturniq. Filius, Hesiodo, Homero, Ciceroni.

Plurima autem cognomina habuit, vt

Optimus max.	Idæus.
Olympius.	Capitolinus.
Vniuersi anima.	Feretrius.
Stator.	Pluuius.
Casius, *Strabo lib. 16.*	Hecatombeus.
Eleus.	Panopheus.
Dictæus.	Cretæus.
Muscarius.	

Iouem Lapidem Romani iurare consueuerant; aër quoq. habitus est. Theocritus ad Battum:

Nunc pluit, & claro nunc Iuppiter æthere fulget.

Pluuiã quoque immittere creditus, Tibullus de Nilo:

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec pluuio supplicat herba Ioui.

Plura cognomina Orphei & Homeri hymni suppeditant, & Lilii Gyraldi Syntagmata, & Iulianus Aurelius Belga; item epitheta Græca Conradi Dinneri, Zanchi, & Ioannis Rauisij.

Pingebatur specie virili, triocularis, sine auribus, sinistra sceptro, dextra fulmine armata, pedibus gigãtes, quos domuit, calcans, aquila astãte, quæ ei sacra, & quæ iuuenem forma insignem Ganymedem futurum pocillatorem ex Ida subuexit.

IOVIS.
Ex numo æreo Ptolemæi
Regis Ægypti.

IVPPITER AMMON

IN Africa colebatur, à cuius arenis *Ammon* dictus. Liber enim pater, vt Mela refert, cùm per Libyam exercitum duceret, siti fatigatus, Iouis patris auxilium implorauit, statimq. viso arietè fons inter arenas effluxit; quod Liber conspicatus, quò gratias patri referret, ei templum eodem loco construxit, simulacrumq. capite arietino posuit, quod notauit Seruius in illud Virgilij:

Hic Ammone satus rapta Garamantide nympha.

Diodorus refert Osiridem duo templa Ioui aurea statuisse, alterum maius Ioui cœlesti, alterum minus Ioui patri suo, quem quidam, inquit, *Ammonem* vocant. Q. Curtius lib. IV. Alexandrum duobus coruis præcedentibus, *Iouis Ammonis* templum accessisse, ibique sacerdotes eum *Iouis Filium* scribit appellasse, quod cognomentum teste Agellio lib. XIII. cap. IV. Olympias mater molestè tulit.

Tradit Herodotus lib. II. Iouem, cùm nollet ab Hercule cerni, ab eo tandem exoratum, id commentum esse, vt amputato arietis capite, pelleq. villosa, quam ei detraxerat, induta, sese Herculi ostenderet. Atque inde factum, vt Aegyptij Iouis simulacrum arietina facie confingerent, & id ab Aegyptiis Ammonij acceperint.

Ab aliis *Ammon* dictus traditur, quod in bellis vsus sit galea, cuius insigne fuerit Arietis, vnde orta sit deinde fabula. Sunt qui asserãt ipsum cornua in vtroq. tẽpore habuisse, ac propterea Dionysium ipsius *Ammonis* filium eodem fuisse aspectu.

Cognominatus est hac ratione κερατοφόρος *corniger*, quomodo eum Lucanus, & Surculus Papinius nominat: & Ouid. V. Metamorph. —*Heroidum numen, sed corniger Ammon.*

Plura Gyraldus Syntagmate II. Silius Italicus lib. III. & Berosus lib. V.

IOVIS AMMONIS.

Ex nummo æreo
Imp. Traiani Aug.

EIVS meminit Virgilius lib. VII.

——*queis Iuppiter Anxurus aruis*
Præsidet; & viridi gaudens Feronia luco.

Quo loco Seruius: *Circa tractũ*, inquit, *Cãpaniæ colebatur puer Iuppiter, qui Anxurus dicebatur, quasi ἀ'νευ ξυρῦ, id est sine nouacula, quia barbam nunquam rasisset, & Iuno Virgo, quæ Feronia dicebatur*: de qua nos post paulò plura. Est autem fons in Campania, iuxta Terracenam, quæ vrbs aliquando *Anxur* est dicta. Horat. Sat. v. lib. I.

Lauimus ora manusq. tua Feronia lympha
Millia tum pransi tria repimus, atque subimus
Impositum saxis latè candentibus Anxur.

Quos versus explicans Porphyrio, ita scribit: *Quæ nunc Terracena dicitur* (Sic enim est in veteri lapide pro *Terracina*. Porphyrionis autem verba, cum in vulgatis codicibus mutila sint, ita proferemus, vt sunt in vetustissimo libro exarata) *olim Anxur dicebatur, vnde Iouẽ Anxurum colebant, cuius & Virgilius meminit; impositũ saxis, quoniam illis temporibus adhuc Terracenensis vrbs in altissimo monte erat, vnde postea in æquiorem locum deposita est, vt non sint solùm adhuc vestigia ædificiorum in monte, sed & murorum.*

Si autem ἀπὸ τοῦ ξυροῦ, & à, vt Græci dicunt τετμημένου μορίου dictus sit, non est dubium, quin *Axurus* legendum sit, cùm apud Virgilium & Horatium, tum apud eorum interpretes Seruium & Porphyrionem.

IOVIS AXVRIS.

Ex nummo argenteo
C. Vibij Pansæ. C.F.

VEIVPPITER, qui & VEIOVIS dictus & VEDIVS ab Agellio & Martiano Capella, à *Ve* particula, quæ in compositione nunc minuit vt in *Vecors* & *Vesanus*, aliàs auget, vt *Vehemens*, *Vegrandis*, quasi paruus Iuppiter dicebatur. Vel quod nocendi vim habere crederetur, vt Agellius lib. v. cap. XII. *Simulacrum*, inquit, *Veiouis, quod est in ade sita inter arcem & Capitolium, sagittas tenet, quæ sunt videlicet parata ad nocendũ, quippe eum Deum pleriq. Apollinem esse dixerunt, immolatúrq. illi ritu humano capra, eiúsq. animalis figmentum iuxta simulacrum stat.* Eodem pæne modo hic in nummo argenteo L. Cæsii depictus est.

Hunc Martianus Capella Plutonem censuit, eo quòd & hic *crudelis Dis* à Poëtis nũcupatur. Ouid. in Fastis *Iouem paruum sine fulmine* vocauit.

VEIOVIS.
Ex nummo argen-
teo, L. Cesij.

IOVIS & Latonæ filius, quem ab Ioue oracula accipere canũt Virgilius, Tibullus, ex Aeſchyli Tragœdia, quæ *Sacerdotes* inſcribitur.

Dicitur autem *Phœbus*, vt ait Heſiodus, à Phœbe Latonæ matre; vel ἀπὸ τοῦ φοιταν βία, hoc eſt quod vi feratur; vt Cornificius; vel à ſpecie & nitore. Nam Græci φοῖβον purum & ſplendidum dicunt, auctores Macrobius & Heraclides Ponticus, vel vt alii volunt, quaſi φῶς τοῦ θίου. Quatuor autem præfuiſſe artibus dicitur, nam Cytharœdum primùm, ac cytharœdorum Deum putauit antiquitas; deinde Medicinæ auctorem, vnde apud Ouid.

Inuentum medicina meum, opifexq. per orbem
Dicor, & herbarum eſt ſubiecta potentia nobis.

Tum iaculatorẽ & ſagittarium, poſtremò vatem, & vaticinii Deum exiſtimauit. Qua de cauſa & Cotta apud Ciceronem III. de Natur. Deor. *Apollines* quatuor celebrat: *quorum antiquiſſimus is qui ex Vulcano natus Athenarum cuſtos dictus eſt; alter Corybantis filius, natus in Creta, cuius de illa inſula cum Ioue ipſo certamen fuiſſe dicitur: tertius Ioue tertio natus & Latona, quem ex Hyperboreis Delphos aiunt adueniſſe: quartus in Arcadia, quem Arcades Nomionem appellant, quòd ab eo ſe leges ferunt accepiſſe.* Hæc Cicero.

Porrò ſecundum Porphyrium, triplicem hunc conſtant habere poteſtatem, & eundem apud Superos *Solem*, apud homines *Liberum patrem*, apud Inferos eſſe *Apollinem*. & hinc triplex circa ſimulacrum ornamentum, Lyra, qua cæleſtis harmonia oſtenditur: clypeus, quo terrenum numen indicatur: ſagitta, quibus infernus Deus & nocere creditus eſt; vnde & *Apollo* dictus ἀπὸ τοῦ ἀποβάλλειν. Sed plura ad *Apollinem* pag. proxima.

APOLLINIS.
Ex numo argenteo
P. Clodij M.F.

Varia ei nomina & appellationes datæ:

Thymbræus.	*Delius.*
Clarius.	*Actius.*
Grynæus.	*Cynthius.*
Pataræus.	*Palatinus.*
Delphicus.	*Ismenius.*

Pythius vero dictus à Pythone serpente eius sagittis confecto: quam fabulam Ouid. & Hyginus conscripserunt. Hinc ab Apolline Pythio *Pythia vates* Phœbas dicta est, quæ oracula & responsa ex antro reddita explicaret. Hinc etiã ludi *Pythia* dicti, in victoriæ memoriam instituti, vt Ouid.

Néue operis famam posſit delere vetustas,
Instituit sacros celebri certamine ludos
Pythia perdomiti serpentis nomine dictos.

His verò ludis præmium primò pecunia, deinde corona fuit: nec in vno tantùm loco *Pythia* exercebantur, nam eadem etiam apud Megarenses & Sicyonios instituta legimus.

Tauro autem in primis placabatur, vnde Virgilius:

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Ludis quoq. *Apollinaribus* XVIII. Augusti à Romanis, ex Carminum Sibyllinorum religione, boue aurato, & capris duabus albis auratis colebatur: alii equo tradunt, vt celeritati eius responderet, Lactantius lib. 1. Ouid. in Fast.

Parrhasii apud Arcades Apollini aprum immolabant.

Laurus illi sacra, vt Pœtarum & vatum principi, hinc Maro:

——— *sua Laurea Phœbo.*

vid. Nasonem lib. 1. Transform. de Daphnide.

APOLLINIS.
Ex nummo argenteo
M. Plætorij Cest.

QVI idem *Phœbus* & *Apollo*, vt soror eius Diana Luna est, quæ & Lucina. Huius effecta duo: alterum, quo calore temperato mortalium res iuuat: alterum, quo iactu radiorum nonnunquam pestiferum emittit virus, quæ lues pestis est, & à Græcis ἐπιδημία & λοιμὸς vocatur, vt auctor est Homerus Iliad. α. vbi Apollo pestem castris Græcorum, ob raptã Chryseidem sacerdotis sui filiam, immisit.

Hic *Hyperione* & *Thya* genitus, vt Pindarus & Hesiodus tradunt, Hyperione & Euryphaëssa sorore, vt Homerus. Hyperion verò Cœli Terræq. filius, quæ & Titea dicta est, siue vnius Curetum matre Tite qui Solis ac Lunæ aliorumq. astrorum cursus ac motus summa cura ex se percepit, aliisque noscendos tradidit, ideoq. Solis ac Lunæ parens dicitur, veluti ipsorum naturæ contemplator, vt asserit Diodorus. At verò Pausanias tradit Titana *Solis* fratrem fuisse, qui Titanem regionem ad Asopum flumen tenuerit, temporumque anni diligentissimus obseruator fuerit.


SOLIS.
Ex numismate argenteo
L. P. Lautij Planci.

INTER Epitheta Solem *inuicti* nomen fortitū arbitror in numis Constātini Aug. fortè quod *solē iustitiæ* Christum designare voluerit, cuius & in mōte Thabor trāsfigurati facies solis instar resplēduit, Matth. XVII. Sed nihil certò affirmare ausim: imò crediderim numū hunc cusum fuisse à Cōstantino, antequā se Christianæ fidei adiungeret; nec planè à vero abhorret, nā hæc effigies, feritatem quandam gētilem refert. Vtrum verius sit viderint alii. Solem autem *inuictum* appellari crediderim, cùm quòd, etsi diuturno nocturnoq. cursu laboret, tantoq. hactenus tēpore laborarit, indefatigabilis permanet: vnde ἤλιος ἀχάμας Homero Iliad. σ. Nō quòd non laboret, sed labōrem non sentiat, vt ait Seruius in illud Virgil.

Hic canit errantem Lunā, Solisq. labores. Hesiodus:

ἠλίῳ ἀκαμαντι τέκε ——

Tum etiam quòd ignis, quem in *Sole* adorabant Gentes, in primis Persæ, elementis ceteris in corporibus humanis prædominetur.

SOLIS INVICTI.
Ex numulo æreo, Imp.
Constantini Aug.

DICTVS *Neptunus*, quòd mare & terras obnubat, vt nubes cœlum, à *nuptu*, id est, opertione, vt Varro; à *nando*, vt Cicero. à Græcis ποσειδῶν, quòd pedibus terram quatiat, à πούς videlicet, id est *pes*, & σείω *quatio*, & δῦ, pro γῆ Doricè, *terra*.

Coniugem illi attribuunt Poëtæ *Amphitriten*, quam & *pro mari* vsurpant, vt Naso 1. Metamorph.

——— *brachia longo*
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

Auctor est Agellius lib. XV. cap. XXI. antiquos vocasse *Neptuni filios*, immanes ac feroces homines, ab omni humanitate alienos, tanquam è mari genitos: cui & Seruius in lib. III. Aneid. subscribit de Harpyiis cùm loquitur: *Neptunus*, inquit, *prodigiorum omnium pater est, & perinde etiam factum, vt quotiescunq. desunt parentes, redeamus ad generalitatem. Sic & peregrinos Neptuni filios dicimus, quorum ignoramus parentes.*

Pingebatur autem variis modis, nunc pacatus & tranquillus; nunc commotus, vt apud Maronem 1. Aeneid.

——— *grauiter commotus, & alto*
Prospiciens, summa placidum caput extulit vndâ.

Nunc etiam nudus cum tridente, vt hîc vides; nunc in veste cærulea, quæ maris colorem imitetur; Lucianus in Sacrificiis Cyaneis capillis nigris, depingit. A Philostrato tamen in Imaginibus, cum equis scilicet & cetis in mari tranquillè describitur incedere. (Equi autem eius *Eriole* & *Glaucus*, siue *Enceladus* & *Sthenon*, teste Fauorino.) Addit ei Hyginus in Delphino buccinam & fuscinam: *Qui Neptuno*, inquit, *simulacrum faciunt, aut in manu aut sub pede eius Delphinum constituere videmus, quod Neptuno gratissimum esse arbitrantur.*

NEPTVNI.
EX nummo argenteo L.
Lucretij Tricip.

NEPTVNVS, vt Cretes tradunt, primus nauigandi arte inuenta, classem instituit, cui eum Saturnus præfecit. Quapropter traditum est à posteris NEPTVNVM imperasse mari, sacraq. ei à nauigantibus fieri.

Addunt etiam hunc primùm equos domuisse, artemq. equitandi ab illo traditam, & equum tridente è petra Thessaliæ eduxisse, vnde *Hippius* & *Petræus* dictus. Vide emblema 1. Hadr. Iunii, & eius scholia.

A NEPTVNO porro *Neptunalia* dicta. Huius enim Dei, teste Varrone, Sextæ feriæ sunt: Græci vero octauũ cuiusque mẽsis diem NEPTVNO sacrum esse voluerunt, vt Plutarch. in Theseo; & instituta *Consualia* à *Conso* eius cognomine.

Taurus ei immolabatur, vnde Virgil.

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Homerus in Odyssea. ταύρους παμμελαίνας, *tauros valde nigros* vocat, quo loco interpres: *Tauros*, inquit, *propter maris violentiam*, *nigros verò, propter aquæ colorem* ex maris profundo. Pindarus in Olymp. ταῦρον ἀργὸν illi ascribit: quem quidam *album* interpretatur, propter maris spumas; alii non *album*, sed *florentem*, seu *nitentem*, aut *procerum* exponunt, verius autem, qui *velocem*. qui autem *album*, prorsus errant, nam & Pindari interpretes *Nigros tauros*, ei immolari volunt: Sic etiam Maro *Nigram pecudem* tempestati attribuit:

Nigram hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Nisyreus. Sed audiamus Poëtarũ principem, ex versione Guarini:

Deuenêre Pylum Nelei turribus altam,
Hic maris ad littus solennia sacra fiebant,
Mactabantq. nigros Neptuno in littore tauros.

NEPTVNI.
Ex nummo argenteo CN.
Pompei CN.F. SEX.N. Magni

SATVRNI filius ex Ope, id est Rhea, Iouis frater, vnde & *Iuppiter Stygius* & *infernus* dictus, Inferorum Deus.

Dis autem dictus, quòd natura omnis, & terrena vis ipsi dicata sit, vt ait Cic. vel quasi minimè diues, vt Fabius.

Funerum sepulchrorumq. inuentorem facit Diodorus Siculus, hinc & *Silentum & mortuorum rex* dictus est. Claudianus:

——Rex ipse silentum
Lethæo vehitur curru——

cui currui idem quatuor equos addit:

Orphnæus crudele micans Aethonq. sagitta
Ocyor, & Stygii crudelis gloria Nycteus
Armenti, Ditisq. nota signatus Alastor.

Cupressus ei sacra, vel quòd cæsa non repullulet; vel quod per eam funestæ ostendebantur domus.

Nomina eius sunt:

Ἀΐδης	Arimanes.
Agesilaus.	Eubulus.
Lagetas.	Clymenus.
Axiocerses.	Quietalis.
Chtonius Iuppiter.	Postulo.
Soranus.	Summanus. &c.
Februus.	

Summani autem nomine coli primùm temporibus Pyrrhi cœpit, vt ex Ouidio colligo:

Reddita, quisquis is es, Summano templa feruntur,
Tunc cum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.

M. Varro lib. de Lingua Lat. ait à T. Tatio inter ceteros Deos *Summanum* positum. Consule Plautū in Bacchid. Martianū & Festū.

Fuit eius templum prope Circum maximū, iuxta fanum Iuuentatis, cui canes annua supplicia pendunt. Sacellum verò in Capitolio.

De raptu Proserpinæ per Plutonem, legendus Claudianus.

Plutus autem, nequis erret, alius Deus est, Diuitiarum præses, cuius titulo prima Aristophanis Comœdia inscribitur. Vide Stobæum.

PLVTONIS.

Ex nummo argenteo, Sex Noni P. F. Sufenatis.

IOVE & Iunone natus, vt canit Homerus. Hesiodus enim tantummodo Iunone natum perhibet.

Hunc ferri, æris, auri, argenti, omniumq. quæ igne fabricantur artem inuenisse tradunt, eamque ceteros docuisse, quapropter harum rerum opifices omnes vota sacraq. huic Deo maximè faciunt, eumq. in æternam memoriam accepti muneris VVLCANVM appellant; Diodorus.

Idem à Ioue è cœlo deiectus in Lemnum Siciliæ insulam delapsus est, claudusq. effectus, vt finxit Homerus. Sed arguatur ingratitudinis Iuppiter, filium suū deiiciens, cuius olim opera in partu nouo adiutus est, cùm securi tumentem patris frontem & tēpora aperuit. Claudus dicitur, quia per naturā nunquam rectus est ignis.

Cœlo itaq. præcipitatus sub terra Ioui fulmen fabricat. eius autem ministri Cyclopes sunt, de quibus Maro.

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro
Brontesq. Steropesq. & nudus membra Pyracmon.

Fuit ei coniux Venus, vt Idem Maro VIII. Aeneidos de clypeo Aeneæ, quem Venus ferens coniugis artem prædicat, eodemque loci Aeneas veneris filius:

—— Clypeum Vulcani dona parentis
Miratur.

Idem dictus est *Mulciber*, quod ignis omnia mulceat ac domet, auctore Macrobio, hinc Lucanus:

Ora ferox Siculæ laxauit Mulciber Aetnæ.

Leguntur in Vulcanum hymni duo, alter Orphei, Homeri alter. *Vulcano* cùm sacrum fiebat, omnia igne absumebantur: id quod *Proteruiam* dicebant. Nam nisi victima, & quodcunque superesset, igni datum fuisset, sacrificium polliu putabatur.

VVLCANI.
Ex nummo argenteo L.
Aurelij L. F. Cottæ.

Iovæ & Maia genitus, Homero, & Hesiodo. Quinq. *Mercurios* vetustas coluit, referente Cicerone: *Mercurius vnus Cœlo patre, Die matre natus, cuius obscœnius excitata natura traditur, quòd aspectu Proserpinæ commotus sit. Alter Valentis & Phoronidis filius is, qui sub terris habetur: idem Trophonius: Tertius Ioue tertio natus & Maia, ex quo & Penelope Pana natum ferunt. Quartus Nilo patre, quem Aegyptii nefas habent nominare. Quinctus, quem colunt Pheneatæ, qui Argum dicitur interemisse, ob eámq. causam in Aegyptum profugisse, atq. Aegyptiis leges & litteras tradidisse.* Lactantius Grammaticus, IIII. tantùm numerat.

Mercurius verò dictus à *Mercibus*, hunc etenim negotiorum omnium existimabant Deum. Hyginus refert quinctam stellam ex errantibus *Mercurii* nomine appellatam. Hæc autem ei data creditur, quòd primus menses instituerit, & siderum cursus præuiderit.

Hunc, auctore Diodoro, primùm verba in ordinem redegisse, & multis indidisse rebus nomina proditum est. Fuisse quoq. litterarum inuentorem aiunt, instituisseq. Sacrificia singulis Diis: astra autem obseruauit inprimis, vocumq. concentus inuenit. item palæstram, numeros, trium chordarum lyram, ad similitudinem trium anni temporum.

Quin etiam verborum interpretationē Græcos edocuit, vnde & eum ἑρμῆν, id est *interpretem* appellarunt.

Præterea tribuuntur *Mercurio* præconia, dissidia, & fœdera, quæ in bello fiunt. præcones quoq. adiiciuntur, qui internuntii esse solent, ob eamq. rem ab hoste tuti.

Mensuram insuper ac pondus, & mercaturæ quæstum eum ferunt reperisse.

Pingebatur autem cum pileo, & talaribus, manibus virgam tenens, Virgil. Aeneid. IIII.

——— & primùm pedibus talaria nectit
Aurea —— Et paulo pòst:
Tum Virgam capit, hac animas ille euocat Orco
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit.

Mercurio, vt aliis Diis certa immolabantur membra, sic lingua ei dicabatur. Lege Apollonij Rhodij Commentaria Græca.

MERCVRII.
Ex nummo argenteo
C. Mamil. Limet.

M. Varro tradit *Martem* hinc vocatum, quòd maribus in bello præsit. *Mauors* verò vt ait Cicero, quòd magna vertat: vel, vt Seruius notat, figuratè dicitur, vt *Induperator*, pro *Imperator*.

Creditus est frater Bellonæ, ideoq. vocatus est ἐνυάλιος, ab ἐνύω, id est *Bellona*: & quia potissimùm delectatur sanguine humano, à Græcis nominatus est αἱμοχαρὴς, à Latinis *Sanguineus*. Virg. XII. Aeneid.

Sanguineus Mauors clypeo increpat ——

Natus autem, vt Hesiodo placet, Ioue & Iunone; & vt Ouidio, ex Iunone sine viro conceptus in campis Oleniis tacto flore, quem indicauit Flora.

Hunc, inquit Diodorus, fabulæ tradũt, primùm fabricatis armis milites armasse, & Deorum aduersarios interficiendo, bellandi pugnandiq. artem inuexisse. Romani porrò summo cultu hunc venerabantur, & Latini, vt suprà ex Tibullo docuimus, quòd existimarent parentem esse Romuli, Sacerdotesq. Salios illi attribuebãt, & carmina Saliaria.

Ardentem verò eum effingebant, nunc in curru, nunc in equo, armatum hasta & flagello; ardentem quóq. addito gallo, militum vigilantiam ostendebant. Isidorus scribit *Martem* nudo pectore effingi solere, quòd quisq. in bello se morti intrepidè obiicere deberet.

Equos binos ei dat Homerus δεῖμον & φόβον *Pauorem* & *Timorem*. Quintus tamen Calaber quatuor nominat, nomina hæc sunt: Aethon, Phlogius, Combos & Phobos. *Gradiuus* & *Quirinus* apud Latinos duo præcipuè *Martis* nomina fuerunt: hoc quidem, dum tranquillus mitisq. esset: illud, dum in armis sæuus. A Romanis October equus illi immolabatur in campo Martio, Idib. Octob. summa religione. Latini lupum dicabant, Lusitani hircum, Galli Cisalpini Verrem.

MARTIS.

Ex numulo æreo Imp. Constantini Aug.

CYBELE.

QVAM Phryges CYBELEM appellarunt, eam alii

Bonam Deam.	*Deorum matrem.*
Opem.	*Berecynthiam.*
Magnam matrem.	*Veſtam.*
Mygdoniam.	*Semelem.*
Idæam.	*Antæam.*
Dindymenen.	*Peſinuntiam.*
Tellurem.	*Pylenam. &c.*

Hæc θεὸς γυναικεία (vt Plutarch. in Cæſ. & Macrobius) dicebatur, quòd mulierib. ſolis adire eius ſacra, quæ in operto fiebant, fas eſſet, hinc dictum à Satyrico: —— *Nota Bonæ ſecreta Deæ*

& à Tibullo:

Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.

Quæ tamen à P. Clodio homine ſpurciſſimo, vt Cic. de Aruſpic. reſpõſ. Plutarch. aliiq. teſtantur, ſunt violata. Qua de re & L. Seneca in Epiſtolis: *Credat*, inquit, *aliquis pecuniam eſſe verſatam in eo iudicio, quo reus erat Clodius, ob id adulterium, quod cum Cæſaris vxore in operto commiſerat, violatis religionibus eius ſacrificii, quod pro populo fieri dicebatur.*

Kal. Maiis eius feriæ agebantur, vnde ei nomen *Maia.*

Turrita autem pingebatur, vt hic vides, quia eadem Tellus Dea eſt, hinc Propertius:

Claudia turritæ rara miniſtra Deæ.

Virgilius:

Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbes.

Papinius:

Ille Phryges lucos matri penetralia cædit
Turrigeræ. ——

Huius ſimulacrum à Gallis ſacerdotibus, & Curetibus cum tympanis, buxo, tibia comitantibus, in curru à leonibus vehebatur, vt Virgil. III. Aeneid.

Et iuncti currum dominæ ſubiêre Leones.

Et Ouid. Metamorph. XIIII.

Sancta Deûm genitrix timmitibus æthera pulſi
Aeris & inflati compleuit murmure buxi,
Pérq. leues domitis inuecta leonib. auras.

CYBELIS.

Ex numo argenteo C. Fabij C.F.M.N. Pictoris.

IVNO quòd ceteris dignitate Deabus præstare putaretur, *Regina* dicta est, vt ille Aeneid. 1.

Ast ego, quæ Diuûm incedo Regina, Iouisq.
Et soror & coniux ———

Pub. Victor in XIII. Rom. vrbis regione *Iunonis Reginæ* templum nominat, quod à Camillo Dictatore Veiis captis dedicatum est. Liuius lib. v. *Cùm iam*, inquit, *humanæ opes egestæ à Veiis essent, amoliri tum Deûm dona, ipsósq; Deos, sed colentium magis quàm rapientium modo cœpere. Námq. delecti ex omni exercitu iuuenes, purè lautis corporibus, candida veste, quibus deportanda Romam Regina Iuno assignata erat, venerabundi templum iniere, primò religiosè admouentes manus, quòd id signum more vetusto, nisi certæ gentis sacerdos attrectare non esset solitus: deinde cùm quidam seu spiritu diuino tactus, seu iuuenili ioco,* VISNE ROMAM IRE IVNO? *dixisset, annuisse: ceteri* ROMAM *conclamauerunt. Inde fabulæ adiectum, vocem quoq; dicentis* VELLE *auditam. Motam certe sede sua parui molimenti adminiculis, sequentis modo, accepimus, leuémq. ac facilem translatu fuisse, integrámq. in Auentinum æternam sedem suam; quò vota Romanâ Dictatoris vocauerant, perlatam, vbi templum ei postea idem, qui vouerat, Camillus, dedicauit.* Hæc pœne eadem Lactantius lib. II. Institut. Diuin. *Iunoni Monetæ* attribuit. Quo autem ritu Camillus ei dedicauerit, copiosiùs in eius vita Plutarchus.

Alterum quoque ei templum, scilicet in Capitolio, quod Cn. Flaminius bello aduersus Ligures vouerat, Liuius idem attribuit.

Plinius refert pictorem quemdam *Iunonis Reginæ* templi Ardeæ, Romana ciuitate donatum, de quo hi versus apud eundem exstant:

Dignus digna loco picturis condecorauit
Reginæ Iunonis supremæ coniugis templum,
Marcus Ludius Elotas Aetolia oriundus,
Quem nùc & post, semper ob artè hanc Ardea laudat.

Quos versus ego eo libentiùs ascripsi, quò lector agnoscat antiquitatem, quàm simplici & incondita vteretur dicendi figura:

IVNONIS
REGINAE.
Ex nummo argenteo P.
Crepusi, & C. Limita.

LANVVII hæc in primis colebatur, idque magno cultu, teste Liuio, cuius simulacrum (vt hîc etiam vides) cum pelle caprina, hasta, scutulo & calceolis repandis effingebatur, vt de natur. Deor. scribit Cicero. Liuius quidem lib. VIII. ab V. C. *Lanuuinis*, inquit, *ciuitas data, sacráq. sua reddita cum eo, vt ædes lucúsq. Iunonis Sospitæ communis Lanuuinis municipib. cum pop. Romano esset.* Item lib. XXXIX. In æde, *Iunonis Sospitæ* Lanuuii cum horrendo fragore strepitum editum refert.

Pub. verò Victor in X. vrbis regione, hoc est in Palatio, ædem Matris Deûm commemorat, cui fuerit conterminum delubrum SOSPITAE IVNONIS. Meminit & Tullius in orat. pro L. Muræna, cui Coss. ait sacrificare solitos. Silius lib. XIII.

Lanuuio generate, inquit, quem SOSPITA IVNO
Dat nobis, Milo, Gradiui cape victor honorem,
Tempora murali vinctus turrita corona.

De eodem Dictatore Lanuuino Milone, in Miloniana Cicero & Asconius.

SOSPITAE autem IVNONIS delubrum dicatum lib. II. Fastor. cecinit Ouid. Kal. Febr.

Antiqui verò non SOSPITAM, sed *Sispitē* dicebant, vnde Festus: *Sispitem Iunonem, quam vulgo* SOSPITEM *appellant, antiqui vsurpabant, cùm ea vox ex Græco videatur sumta quod est σώζω.*

Illud præterea par est, vt Lectorē moneam, cùm de SOSPITA agūt scriptores, pro *Lanuuio*, Lauinium plerunq. perperam scribi, repugnante syllaba, vt apud Ouidium in Fastis & Silium lib. XIII. Hinc aliqui eandem hanc cum Sotera Minerua ponunt, in Aristotelis testamento, quod est apud Laërtium.

IVNONIS
SOSPITAE.
Ex nummo argenteo, L.
Thorij Balbi.

IVNONEM MONETAM Val. Max. & Lactantius lib. II. Instit. Diuin. agnoscunt, attribuuntq. ea, quæ Liuius *Iunoni Reginæ*. M. Cic. I. de Diuinat. hanc MONETAM à monendo cognominatam putat. Nam cùm multò antè captam vrbem à Gallis terræ motus factus esset, ferunt vocem exiisse à Iunonis templo, quod erat in arce, vt de sue plenâ fieret procuratio.

Huius crebra in scriptoribus mentio. Lucanus:

Numina miscebat Castrensis templa MONETÆ.

Ouid. à Camillo in Manlii domus loco dedicatum prodidit:

Arce quoque in summa IVNONI *templa* MONETÆ.
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.
Antè domus Manli fuerat, qui Gallica quondam
A Capitolino reppulit arma Ioue.

Scribit Macrobius Kal. Iunij ædē IVNONIS MONETAE dicatam fuisse. T. Liuius in VII. ab V. C. ait, L. Furium creatum Dictatorem contra Auruncos, quòd bellum à repentina populatione ereptum est, inter ipsam dimicationem ædem IVNONI MONETAE vouisse, cuius damnatus voti victor fuit.

Sunt qui in Auentino, sunt qui in Capitolio hanc ædem memorant fuisse. De his vide P. Victorem. In huius æde libri lintei asseruabantur, quibus imperii Rom. fata continerentur. Nec desunt, qui, quæ MONETAE attribuuntur, ad *Aium Locutium* referant, qui à Pet. Crinito, & Lilio Gyraldo Syntagm. III. refelluntur.

Suidas homo Græcus de MONETA aliam historiam refert, ait enim Romanos, cùm pecunia indigerent in bello Tarentino, orasse IVNONEM, quæ illos monuit, si iustitiæ armis vterentur, pecuniam eis non defuturam, quod cùm Romanis rectè accidisset, MONETAM IVNONEM veneratos esse.

MONETAE.
Ex numismo argenteo
T. Carisij.

Iuno à pleriſq. credita. Seruius enim Grammaticus ait: *Apud Circeos & Rutulos* IVNO *virgo colebatur, quæ* FERONIA *dicta eſt*, ad illud Virgilii lib. VII.

——— *et viridi gaudens* FERONIA *luco.*

quo loco & *Iuppiter Anxur* colebatur, de quo ſuprà.

FERONIAE verò templum ſummo cultu fuiſſe, teſtis eſt hiſtoria. Scribit enim T. Liuius, Hannibalem diuitiis & donariis illud ſpoliaſſe, intactum ob religionem ante id tempus; & ait, cùm prodigia procurarent, ſtatutum fuiſſe, vt libertinæ mulieres, vnde FERONIAE donum daretur, pecuniam pro facultatib. ſuis conferrent. Dionyſ. Halicarn. lib. II. dicit Lacedæmonios ob duras Lycurgi leges patriæ cedentes, & multis tempeſtatibus iactatos, Diis vouiſſe, vt quamcunq. primùm terram attigiſſent, in ea ſe ſedes poſituros: & primùm circa Pomentinos conſiſtentes, locum ab æquorea latione FERONIAM nuncupaſſe, & huic Deæ ædem conſtruxiſſe, cui vota nuncuparunt. Idem Dionyſ. in bello quod Tullus cum Sabinis geſsit, huius etiam meminit, quam quoſdam Græce nunc φιλοξένου alii περιφύτην appellare ſcribit.

Tradit Plautus in Amphitryone FERONIAM, Deam libertorum eſſe, cuius in templo, raſo capite pileum accipiebant.

Aliâ verò Strabo lib. V. Geograph. FERONIAM innuit, quam ſub montem Soractis collocat in ciuitate eiuſdem nominis *Feronia*, cuius admirabilem ſacrificandi ritum exponit. Nam qui eius numine (inquit) afflantur, nudis pedibus prunas, & copioſum obambulant nulla læſione cinerem: Quamquam Maro XI. hæc potius Apollini tribuat, apud quem Aruns ita precatur:

Summe Deûm, & ſancti cuſtos Soractis Apollo
Quem primi colimus, cui pineus ardor aceruo
Paſcitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores media premimus veſtigia pruna.

Vide Silium Italicũ lib. XIII. Punicorũ & Horatium Serm. lib. II.

FERONIAE.
Ex nummo argenteo,
P. Turpiliani III.VIRI.

Saturni & Rheæ filia, quæ prima ædificandi artem inuenisse fertur, teste Homero, Orpheo & Diodoro. Ab antiquis multa veneratione culta, nunc eam ignem, nunc terram existimantibus, vt docet D. Augustinus de Ciuit. Dei lib. IIII. Ouid. in Fastis:

Vesta eadem est & Terra: subest vigil ignis vtriq;.
Significant sedem terra focúsque suam.

Idem paulò post:

Stat vi terra sua, vi stando Vesta vocatur.

Quidam non à vi stando, sed à vestiendo, quòd terra varijs tum herbis, tum plantis, ceterisq. vestiatur. Phurnutus: *Ignis,* inquit, *semper viuens Vesta attribuitur, quòd & ipsa videatur existens esse.* Et M. Cicero II. De Natura Deorum: *Vesta nomen à Gracis. ea enim est quæ ab illis ἑστία dicitur: vis autẽ eius ad aras & focos pertinet.* Apud Troianos olim culta fuit, vnde Virgil. de Hectore:

Sic ait, & manibus vittas, vestamq. potentem,
Æternumq. adytis effert penetralibus ignem.

Sed cùm *Vesta* ignis putaretur, Virgo etiam dicebatur: vnde & virgines eius iure ministerio adhibebantur, quæ sacrum ignem custodirent, *Vestales* appellatæ. Silius:

Et vos virginea lucentes semper in ara
Laomedonteæ Troiana altaria flammæ.

Vestales ergò virgines (teste Cicer. lib. II. de Leg.) annos XXX. virginitatem perpetuum q. ignem seruabant, sin minus, viuæ in terram defodiebantur. Macrob. lib. III. *Vestam* de numero Penatium esse ait, aut certè eorum comitem, adeò vt & Consules & Prætores & Dictatores cùm inirent magistratus, Lauinij rem diuinã faciebãt *Penatibus* pariter & *Vestæ.* Non absimile quod Pomponius Lætus lib. VI. *Vestalem ignem cum Penatibus, Aeneas è Troia in Latium tulit, condite Lauinio, Vestæ eadem sacrauit.* Pingebatur verò *Vesta* mulieris forma sedentis, & gestantis tympanũ, quòd Terra ventos intra se contineat.

VESTAE.

Ex nummo argenteo
Q. Cassij.

CERERE M. Varro à creando deriuat, quasi omnium frugũ creatricem, quã ideo Tegeatæ καρποφόρον *feracem* seu *frugiferam* dixerũt: à gerendo prima littera immutata M. Tullius. nam fruges gerit vel spicas, vt in hoc L. Cassii numo, Prima enim fruges earumq. vsum adinuenit, hominesq. docuit, cùm siluestri prius glande vescerentur, vt eleganter Herodotus lib. VI. Plinius lib. VII. & V. Transform. Naso:

Prima CERES *curuo glebam dimouit aratro;*
Prima dedit fruges alimentáq. mitia terris.

Eadem lib. V. Biblioth. Diodorus, qui & leges Iuraq. eandem inuenisse testatur, inde θεσμοφόρον quasi *Legislatricem* dictam, quòd ibidem poëta:

Prima dedit Leges Cereris sunt omnia munus.

Est autem Rheæ & Saturni filia, vt Hesiodus. πάντα γὰρ ἐκ γῆς προέρχεται. Hæc Iasio Heroi filium πλοῦτον peperit,

Appellata est etiam *Eleusinia*, quia Eleusi Atticæ oppido colebatur, vnde P. Virgil.

Tardáq. Eleusinæ matris voluentia plaustra.

Arcana illic & mystica sacra peragebantur, quæ se somno monitum tacere refert Pausanias. Adeo autem secreta fuêre, vt vulgò in taciturnos & secretos homines prouerbium iactaretur Ἀττικοὶ τὰ ἐλευσίνια, vide chiliades magni illius Erasm. Roterod. Facibus verò accensis & tedis peragebantur, quibus solicitudinem eius in quærenda filia Proserpina exprimebant.

Hac de re integro poëmatio CL. Claudianus poëta venustissimus.

Nominata autem his nominibus:

Ennæa.	Tedifera.
Catinensis.	Ompnia.
Achæa.	Melæne.
Pylagora.	Mysia.
ἔπωπις.	Cthonia.

CERERIS.

Ex nummo argenteo
L. Cassij Cæciani.

CEREALIA v. Id. Aprilis fiebant, ex Macrobio, & priſco Kalédario Rom. Quæ primùm Mémius ædilis celebrauit, de quibus Ang. Politianus Miſcellan. cap. LXXXV. qui quãuis ſcitu digna collegerit, in eo tamẽ erraſſe videtur, quòd eundẽ Memmium ædilem cum C. Mémio Prætore fecerit. Fuluius verò Vrſinus lib. de Fam. Rom. C. Mémium qui *Cerealia* primus fecit, C. Mémio qui imperator appellatus eſt, antiquiorẽ arbitratur, ſed Mémiũ III. virũ qui gétis monuméta celebrare voluit, vtriuſq. ſimul titulos denariis impoſuiſſe.

Pingebatur ab antiquis CERES matronæ habitu, cum ſpicarum & papauerũ manipulo, quibus adiiciebatur Colus cum quo effingi CERES conſueuit, vt docet ex Orpheo Porphyrius libello cui *Antrum nympharum* inſcriptio. Ita & ab Orpheo Proſerpina, quæ ſeminib. præeſt lanam faciens inducitur, veteribus peplum cœlum indigetantibus.

Colebatur potiſimùm in Sicilia frugum feraciſsima, horreoq. Pop. Romani, cuius olim regina fuerat, & in qua filiam à Plutone raptã amiſit: vnde & à multis Siciliæ vrbibus nomen adepta eſt, veluti *Ennææ*, ab Enna. Diodorus lib. II. author eſt magnificẽtiſsimũ Cereris templũ à Gelone Syracuſanorum Tyrãno extructũ fuiſſe. Erat in eo Cereris ſimulacrum ex marmore præclarum atq. peramplum. Erat & alterum eiuſdem ſignum ex ære, ſingulari arte fuſum, ac omnium quæ in eo fano erant, antiquiſsimum.
In ædis veſtibulo, duo quoq. alia ſigna erant, vnum Cereris, alterum Triptolemi. Nec mirum tot in vnius tẽplo Cereris ſigna fuiſſe, cùm tanta eius ibi eſſet religio, vt Enna nõ vrbs, ſed tota Cereris fanum videretur.

Lege Thomam Fazellum lib. x. de reb. Siculis.
Solent eius ſacrificia mulieres candidis veſtibus frugum primitias libando peragere, quod in Metamorph. poëta innuit:

Feſta piæ Cereris celebrabant annua matres,
Illa, quibus niuea velatæ corpora veſte
Primitias frugum dant ſpicea ſerta ſuarum.

CERERIS.

Ex nummo argenteo
C. Iul. Cęsaris Dictatoris.

E summo Iouis capite quatiendo hastam prosiluit, vnde ei nomẽ PALLAS ἀπὸ τοῦ πάλλειν à *vibrando*, vel quòd *Pallantem* gigantem interfecerit: vel quòd in *Pallante* palude nata sit: alii, quòd Semele fulmine icta, & Baccho per abortum edito, PALLAS infantis cor πεμπόμενον *saliens* Ioui attulerit.

Eadem MINERVA dicta, quòd bene moneat, hanc enim pro Sapientia ponebant alii, quod pingatur minitans armis, alii MINERVAM quasi MEMINERVAM dictam volunt.

Aërem Ægyptij nominatim PALLADẼM esse prodiderunt; ac Iouis filiam, ob incorruptionem, virginem, & quòd sublimiorem locum occupet, è vertice Iouis prodiisse dici.

Armata pingitur, quòd sapientia cum robore coniuncta plurimũ valeat, teste Cicerone. Hinc *armipotens*, & *armisona* à poëtis dicitur. Ouid. in Metamorph.

At sibi dat clypeum, dat acutæ cuspidis hastam,
Dat galeam capiti, defenditur ægide corpus,
Percussámq. sua simulat de cuspide terram
Edere cum baccis foetum canentis oliuæ.

Et Virg. —— *Tum numina sancta precamur*
Palladis armisonæ.

Hanc oliuam cum Neptuno certans produxit, vnde ei sacra, propterea quia perpetuò viridis, & nescio quam glaucedinem referat: quódq. olei exẽplo, nihil in se sordidi humidiq. admixtum cõtinentis, virginitas incorrupta perseueret. Virg. 1. Georg. *Oleaq.* MINERVA *inuentrix*. Tum etiam quòd hæc arbor pacis sit symbolum, qua florente *Mineruæ* studia efflorescunt. Quin etiam hanc Legati præferunt pacem petentes, vt Virgil.

Iámq. oratores aderant ex vrbe Latina
Velati ramis oleæ, pacémq. petentes.

Vidimus nummos M. Aurelij & M. Commodi Impp. cum Inscriptione: MINERVAE PACIFERAE. S. C.

Notissimum est eam peplo ornatam, frequenter effictam fuisse, & plerumque cum noctua, nunc ad pedes, nunc in capite: sed & cum Dracone. Quare cùm in exilium iret Demosthenes, dixisse fertur, Mineruam tribus immanibus oblectari feris, noctua, dracone, populo. Domitianum Imp. Mineruam superstitiosè coluisse, Suetonius & Dion Cass. auct.

PALLADIS.

Ex nummulo ereo Imp. Cæsaris Domitiani Aug.

COELO & ſpuma maris edita, teſte Heſiodo, ita dicta *quòd ad res omnes veniret*, vel quòd per eam omnia proueniant, teſte Tullio II. de Nat. Deor.

Quatuor autem Veneres coluit antiquitas, vt idem ille lib. III. *Primo Cœlo & Die nata: altera ſpuma procreata, ex qua & Mercurio Cupidinem ſecundum natum accepimus. Tertia Ioue nata, quæ nupſit Vulcano: ſed ex ea & Marte natus Anteros dicitur. Quarta Syria Syróq. concepta, quæ Aſtarte vocatur, quam Adonidi nupſiſſe traditum eſt.*

Varia autem eius cognomina:

Amathuſia.	Cluacina.
Cytherea.	Idalia.
Dionæa.	Erycina.
Lubentina.	Cnidia.
Acidalia.	Cypria.
Arſinoë.	Paphia.

Hæc pleraq. nomina ei à locis in quibus coleretur, ſed ante omnia, maximè in Cypro & Sicilia teſte Tullio in Verrinis.

Arbor illi myrtus ſacra, vnde Myrtea dicta eſt, vel propter quandam amoris conciliatricem naturam: vel quòd planta ſit maritima, vnde orta ſit Venus. Hinc Æneas cingit *materna tempora myrto.* Roſæ quoq. illi dabantur, de quib. poëmation Virgilij vel Auſonii potiùs circumfertur, quæ & à ſpinis læſa cruore rubram tinxit roſam, de qua fabula in Aphthonii Progymnaſin. & Politiani Miſcellan. cap. XI. Quin etiam columbæ & cycni.

Cingulum eius *Ceſtum* appellabant, quod Homerus in Iliade deſcribit, de quo Græci & Latini multa, vnde & hoc titulo quidam libros ſuos inſcripſerunt. vocatus verò *Ceſtus*, quaſi κεκοσμένος *ornatus.*

Albas columbas VENERI Veteres dicabant, hinc Æneas apud Poëtam *maternas* appellat *aues.* Rem autem diuinam menſe Aprili apud Romanos VENERI ex roſis & floribus faciebant mulieres myrto coronatæ. Et quamuis ſus VENERI ob Adonidis mortem, inuiſus dicitur, legimus tamen apud Græcos VENERI immolatos. Conſule Athenæum.

VENERIS.

Ex numm. argenteo
C. Iulij Cæsaris.

HANC Græci Lunam putant, Iouis & Latonæ filia, Apollinis, id est Solis, soror, in quorum honorem ludi sæculares exhibiti, carmenq. apud Horatium. Aeschylus verò Aegyptios secutus secundum Inopi fluminis ripas Ioue & Cerere natam vult.

Diana apud M. Tullium, *plures. prima Iouis & Proserpina, quæ pinnatum Cupidinem genuisse dicitur. Secunda notior, quam Ioue tertio & Latona natam accepimus. Tertia pater Vpis traditur, Glauce mater. quam sæpè Vpim paterno nomine appellant.*

Dicta verò DIANA, quasi nocte diem efficeret, apud eundem. hanc perpetua virginitate insignem Poetæ tradiderunt, quòd spreta hominum familiaritate siluas montesq. incolendo venationibus vacaret, paucarum virginum comitatu contenta.

Quidam *Deuianam* dictam credidêre, quoniam venantes per deuia & siluas deuiare solent, captantes feras.

Præfuit autem Triuiis, vnde *Triuia* apud Maronem VI. Aeneid. appellata:

Iam subeunt Triuiæ lucos atq. aurea tecta.

item partubus, Horat. carm. sæcul.

Ritè maturos aperire partus,
Lenis Ilythia tuere matres,
Siue tu Lucina probas vocari
Seu genitalis.

in Bucolicis Maro:

Casta faue Lucina. ——————

Hæc in cœlis *Luna* est, in terris *Diana*, apud inferos *Hecate*: vnde *Triformis* appellatur, quod Tragicus Cordubensis his versib. ostendit:

O magna siluas inter & lucos Dea,
Clarúmq. cœli sidus, & noctis decus
Cuius renidet mundus alterna face
Hecate triformis

Pingitur cum arcu & sagittis, quibus ceruos ei dedicatos fatigare credebatur: aliter vt quieta & pacifica, aliter vt Luna. Claudianus elegantissimè illam descripsit.

Hæc cerua placabatur, Sabæ verò & Thraces extis canum Legendus Statius in Syluis & Propertius.

DIANAE.
Ex nummo argenteo
C. Postumij.

C. K. D.

Non Palma cedit ponderi,
Sed ſurgit aduerſus graui:
Sic ſtrenuè laboribus
Viget ſtudendo SVVEERTIVS.

LIBER II.

Medioxumi seu Semones, Heroës & Virtutes.

Aesculapius.
Bacchus.
Bonus euentus.
Canopus.
Castor & Pollux.
Clementia.
Concordia.
Cupido.
Felicitas.
Fides.
Flora.
Fortuna Antias.
Genius Pop. Rom.
Hercules.
Honor.
Ianus.
Isis.
Iustitia.
Libertas.
Libera.
Pan.
Pax.
Penates.
Pietas.
Quirinus.
Roma.
Salus.
Sarapis, seu Serapis.
Sors.
Spes.
Terminus.
Victoria.
Virtus.

DICTVS quasi *Eanus* ab eundo, vt Cic. & Macrobius, quòd cœlum & tempus semper eat, vel quòd *Ianuis* præsit, vt Ouid. Festus Pompeius à χάσκειν detracta aspiratione deriuat.

PLINIVS lib. XXXIV. ait IANVM à Rege Numa dicatum digitis ita figuratis, vt CCCLXV. nota per significationem anni, temporis & æui sẽ Deum indicaret. Alii autem ei in dextra manu clauem attribuunt, vt temporis anniq. recluſori, & ianitori. Obſeruamus & apud Fabium Pictorem eum manu virgam & clauem, ſub pedibus duodecim aras habuiſſe; in eius rei gratiam, quòd primus ſeras & claues excogitarit, & ab eo propterea dictas eſſe *Ianuas*, & duodecim colonias miſerit, totidem pomeria arasq. ſacrarit. Ab hoc Romæ, porta *Ianualis*, de qua Feſtus.

Pingebatur etiam bifrons & quadrifrons, vt in hoc numo. Maro:

——— mare, ſidera, iuro,
Latonæque genus duplex, Ianumq. bifrontem.

quia præterita & futura reſpicit. Ouid:

Solus de ſuperis qui tua terga vides.

Tale ſimulacrum Romulus & Tatius ei, cùm foedera pepigiſſent, ob duorum populorum ſocietatem coniunctionemq. confecerunt.

Habuit templum Romæ, quod tempore belli aperiebatur, pacis autem claudebatur, vnde eum Naſo *Cluſium* appellat:

Et modò ſacrifico CLVSIVS *ore vocor.*

Ter autem ſtante Imperio clauſum eſt, vſq. ad tempora aduentus Saluatoris noſtri, benedicti in ſecula: Primùm, regnante Numa Pompilio, deinde poſt bellum Punicum primum, tertiùm, poſt bella Actiaca, quæ confecit Auguſtus. Plura qui deſiderat, conſulat P. Victorem.

IANI.

Ex nummo argenteo triumphali

APOLLINIS & Arsinoës siue Coronidis filius, vt Pindari interpres. Asclepiades & Socrates ex Arsinoë Leucippi filia & Apolline natum tradunt. Homerus in Hymnis & Diodorus ex coronide Phlegyæ filia & Apolline. At Cicero Aesculapii nomine tres fuisse scribit. *Primum Apollinis, quem Arcades colunt, qui speculum inuenisse, primúsq. vulnus obligauisse dicitur. Secundum, secundi Mercurii fratrem; is fulmine percussus dicitur, humatúsque esse Cynosuris. Tertium, Arsippi & Arsinoe, qui primus purgationem alui dentísq. euulsionem, vt ferunt, inuenit: cuius in Arcadia non longè à Lusio flumine sepulcrum ostenditur.* Apollodorus verò teste Theodoreto Cyrense, tradit *Aesculapium* à venatoribus repertum, raptumq. ab altricis canis vberibus Chironi datum, ab eoq. medicam artem didicisse, ac prima sui experimenta Epidauri dedisse. Ibidem postea serpentis forma cultus, deinde Romam aduectus, qua de re Ouidius in Transformatione: Epidaurus illi sacra, vnde ei nomen Epidaurius. Lucanus:

——— *& medicis felix Epidaurus arenis.*

T. Liuius lib. v. quintæ Decad. de Paulo Aemylio agens, Sicyonem, inquit, inde & Argos, nobiles vrbes adit: inde haud parem opibus Epidaurum, sed inclytam *Aesculapii* nobili tẽplo, quod quinque millib. passuum ab vrbe distans, nunc vestigiis reuulsorum donorũ, tum donis diues erat, quæ remediorũ salutarium egri mercedem sacrauerant Deo. Variè eius simulacra effinxit antiquitas. Pausanias ex auro & ebore à Thrasymedio Pario elaboratũ describit. Is in throno sedebat, virgã tenens in manu: suprà verò draconis caput manũ alterã habebat, cui etiã canis assistere videbatur. Alii cũ dracone & gallo pingũt, propter vigilantiã, de quo ipsi res sacra fiebat.

Adeò autem in arte excelluit, vt multorum desperantium salutem, adiutor exstiterit, ideoq. vitam defunctis quibusdam restituisse creditus est. Idq. ægrè ferens Pluto, apud Iouem illum accusauit, quasi imperium Orci minuentem, quod semper eius opera homines ad vitam reuocarentur. Iratus vero Iuppiter fulmine AESCVLAPIVM percussit, qua morte Apollo indignatus sagittis Cyclopes fulminis fabricatores interfecit. Mortuos verò quos excitauit recẽsset Basilius Zãchus, monachus doctissim⁹ in Onomastico poëtico.

AESCVLAPII.
Ex numo argenteo M.
Acilij M.F.M.N. Glabrionis.

CVLTVS ab Aegyptiis, cuius originem Suidas, & Rufinus lib. XI. Eccleſiaſticæ Hiſtor. commemorant. Ferunt enim Chaldæos per omnes orbis regiones *Ignem* circumtuliſſe, cumq. omnium nationum Diis cõtendiſſe, vt qui Deus viciſſet ab omnibus coleretur. Quare cùm aurei, argẽtei, ærei, terrei, aliuſque generis Dii igne cõſumerentur, omnibus in locis Chaldæorum Deus ceteros ſuperauit: his cognitis CANOPI ſacerdos aſtu rem aggreſſus eſt: nam vnum, è vaſis illis, quæ vulgo hydrias vocant, minimis foraminibus pertuſas, (quibus turbida aqua infuſa, limpida & defecata effluit,) cepit, cera foramina obturat, extrinſecus elegantiſsimè depingit, aqua cõplet, atq. inſtar Dei cuiuſdam efformat, exciſumq. à veteri ſimulacro caput ei quàm ſcitiſsimè adaptat. Venientibus itaque cum igne Chaldæis, itur in conflictum, accenſoq. circa hydriam foco, cera liqueſcit, itaq. apertis circumquaq. foraminibus quibus incluſa tenebatur, aqua effluxit, igniſq. extinctus eſt. Aſtu igitur huius ſacerdotis, CANOPVS Chaldæorum Deum ſuperauit, & ab eo tempore maiori cultu coli cœpit. centum & vno ſtadio eius templum à Canopo vrbe Aegypti diſtare ſcribunt.

Addit adhæc Rufinus pedibus exiguis, attracto collo, & quaſi ſugillato, ventre in modum hydriæ tumido, & cum dorſo æquabiliter tereti depingi: eodem penè modo quo hic eſt, ex tabula Hieroglyphica Pet. Bembi Card. Illuſtriſſ. quæ ſemel iterumq. apud Venetos edita eſt, pictamq. vidimus in Bibliotheca doctiſsimi Liuini Torrentii Antuerp. Epiſc. & Abrahami Ortelii noſtri P. M.


CANOPI.
Ex tabula hieroglyphica Petri Bembi.

Ægyptius Deus, aliis *Serapis* dicitur. Idē porrò cum Plutone putatur esse, testibus Plutarch. in libello de Isíde & Osiride, & Porphyrio in libro responsorum, aliisq. apud Gyraldum Syntagmate VI. aliis *Osiris*, aliis *Iuppiter*, aliis *Ammon* putatur.

Tali autem ratione à Macrobio depictus est: *Calathum*, inquit, *eius capiti affingunt, & simulacro signum tricipitis animantis adiungunt, quod exprimit medio, eodemq. maximo capite leonis effigiem. in dextra caput canis exoritur, mansueta specie blandientis: pars verò læua ceruicis rapacis lupi capite finitur, easq. formas animaliū draco conectit volumine.*

SARAPIS, quamuis proprius & peculiaris Aegyptiorum Deus esset, nihilominus & in Græcia multis in locis cultus fuit, & inprimis Athenis, teste Pausania: Et Romæ, in circo Flaminio, nona vrbis regione, vt Pub. Victor docet, cuius & ad huc nonnulla extant vestigia.

Apim verò nonnulli SARAPIDEM interpretantur, auctore Eusebio lib. x. de præparat. Euangel. quem tamen bouem fuisse maculis distinctum Herodotus & Mela tradunt. Vid. de hoc Augustinum lib. XVIII. de ciuitate Dei. & Suidam, Strabonem, Ammianum Marcellinum.

SARAPIDIS.
Ex numo argenteo, cui à tergo Vota publica.

BACCHVS

IOVIS & Semeles filius, Homero, Euripidi, Hesiodo. Cicero quinque BACCHOS enumerat: *Dionysios*, inquit, *multos habemus; primum è Ioue & Proserpina natum (quem primùm boues ad aratra inuenisse ferunt. Secundum Nilo, qui Nysam dicitur condidisse. tertium Caprio patre, eúmq. regem Asiæ præfuisse dicunt. cuius Sabazia sunt instituta. quartum Ioue & Luna, cui sacra Orphica putantur confici. quinctum Niso natum & Thyone, à quo Trieterides constitutæ putantur.*

Vnde autem *Bacchus* dictus, variant scriptores. Quidam à mulieribus quæ illum bacchantes sequebantur: quidam à coronæ genere, quæ *Bacche* dicebatur, deriuant. Naso IV. Metamorph. multa Bacchi nomina paucis versibus complexus est:

Thuráq. dant, Bacchumq. vocant, Bromiumq. Lyæumq.
Ignigenamq. satumq. iterum, solumq. Bimatrem.
Additur his Nyseus, indetonsusq. Thyoneus,
Et cum Lenæo, genialis consitor vuæ.
Nycteliusq. Eleleusq. parens, & Iacchus, & Euan.
Et quæ præterea per Graias plurima gentes
Nomina Liber habes.

Horum omnium Etymon Gregorius Gyraldus Syntagmate VIII. & Basilius Zanchus reddit in Onomastico: plura vero Ioānes Rauisius, & inter Græca Conradus Dinnerus suggerent.

Hic est Bacchus ille qui peragrata Asia & Africa ad Indos penetrauit, & tigrides deuicit, hinc currum eius cum lyncibus trahere finguntur, cui coronatus pampinea corona insidet triumphans.

Eius sacra apud Poëtas *Orgia* appellantur, ἀπὸ τῆς ὀργῆς, quæ, nocte peragebantur præcipuè in montibus à Mænadibus, quæ & *Euiades* & *Mimallones* dicuntur, vnde *obscura* vocantur. & Ouid.

Tempus erat quo sacra solent Trieteria Baccho
Sithoniæ celebrare nurus, nox conscia sacris. Virg.
——vbi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron.

BACCHI.

Ex numo argenteo Q. Cassij. Q. F.

ALCMENAE & Iouis filius, Hesiodo & Homero: Amphitruone natus tamen creditur, vt apud Plautum legimus. Alienis & suis laboribus inclytus, de quo plurima Diodorus. Quidam plures hoc nomine fuisse volunt, duos aliqui, III. nonnulli, alii XII. Varro tres & quadraginta collegit. Eloquentiæ parens, (in iis qui sunt de Natur.) Deorum, VI. tantùm.

Dictus autem *Oëteus* ab Oëta monte Thessaliæ, vbi pyra constructa conflagrans ad Deos transiit, vt Seneca refert in *Hercule Oëteo*, Ouidius & Diodorus. *Gallicus* quoq. *Hercules* celebratur singulari libello Luciani sophistæ, qui apta ex ore catena, id est dicendi vi & eloquentia, innumerabiles hominum copias ducebat.

Quanto autem odio eum Iuno prosecuta sit, testantur ingentia illa & indomita monstra belluæq. quas eius imperio coactus expugnare, comite Fortuna superauit: vnde laborib. suis cœlum adeptus est. Duodecim verò præcipui celebrantur eius labores in Catalectis Virgilii:

Compressit Neméa primùm virtute Leonem.
Exstincta est anguis, quæ pullulat Hydra secundo.
Tertius euictus sus est Erimanthius ingens.
Cornibus auratis Ceruum necat ordine quarto.
Deiicit horrisono quincto Stymphalidas arcu.
Abstulit Hippolytæ sexto sua balthea victæ.
Septimus Augiæ stabulum labor egerit vndis.
Octauo domuit magno luctamine Taurum.
Tum Diomedis equos nono cum Rege peremit.
Geryonem decimo triplici cum corpore fudit.
Vndecimo abstractus vidit noua Cerberus astra.
Postremo Hesperidum victor tulit aurea mala.

Plura non addam ne compilasse scrinia Gyraldi videar, qui singulari libello eius vitam in gratiam Herculis Estensis Ducis Ferrariæ conscripsit, quem lege.

HERCVLIS.
Ex numo argenteo
M. Perpernæ Nepotis.

QVI Ouidio, Probo, Macrobio, *Faunus* appellatur; antiquis Latinis *Inuus*, vt refert Liuius, & Seruius in illud Virgilii: *Castrum Inui*. Arnobius, Rutilius Numatianus his versibus:

Multa licet priscum nomen deleuerit ætas,
Hoc Iuni castrum fama fuisse putat.
Seu PAN *Tyrrhenis mutauit Mænala siluis;*
Siue sinus patrios incola Faunus init.

A Poëtis Pastorum, atq. adeò totius naturæ Deus esse fingitur. Vnde etiam à Græca dictione πᾶν, quæ idem significat, quod totum vel omne, nomen accepit. Cicero, Mela & Plinius.

Apud Arcades magna religione, tanquam Arcadiæ Deus antiquissimus colebatur. Virgil. *Pan Deus Arcadiæ*. Capras & hircos Mendesii populi in Aegypto non mactant, quod Pana inter octo Deos numerãt, quos octo aiunt priores duodecim Diis exstitisse. Aegyptii eius simulacrũ, eo, quo Græci, modo effingunt, caprina facie hirciniq. cruribus, rubro colore, infima sui parte hispida.

Describitur plurimis versibus lib. XIII. a Silio Italico:

Pan Ioue missus erat, seruari tecta volente
Troïa: pendenti similis Pan semper, & vno
Vix vlla inscribens terræ vestigia cornu. &c.

item à Stroza patre, Alciato in emblematis, & Michaële Marulo.

Hic Demogorgonis filius creditur fuisse & fistulam cõposuisse septem imparibus calamis simul coniunctis, propter cæli harmoniã. Vnde Virg. in Corydone:

Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit, Pan curat oues, ouiúmque magistros.

Exstat apud Theocritum *Panos* fistula miro carminum artificio contexta: quæ obscurissima cùm sit, & ænigmati pœne par, exposita est à Ioanne Pediasimo.

Huius amor & deliciæ *Echo* creditur, in quam vocis imaginem Ausonii Epigramma circumfertur. Constantinus quoq. lib. XI. Geoponicôn ei pinum asscribit.

Plura apud Lilium Syntagmate XV.

PANOS.
Ex numm argenteo C.
Vibij C.F. C.N. Panſę.

M. Cicero III. de Natur. Deor. tres Cupidines enumerat. Sed hic, cuius imaginem vides Martis Veneriſq. ſoboles, & Ioci frater, de quo Horatius Od II.

Quam Iocus circumuolat, & Cupido.

Latinis propriè *Amor* dictus, quòd voluptatem & amorem conciliet.

Phurnutus finxit Cupidinẽ vt puerum, alatum ſagittarium, & faces geſtantem: *puerum*, quòd amantes mente non ſint integra, & inſtar puerorũ decipiantur; *alatum*, quòd hominũ cogitationib. tanquã auis aduolet; *ſagittarium*, vt amore captos & vulneratos indicet, & face velut ardentiſsima accenſos. Seruius tamẽ ideò *puerum* depingi aſſerit, quòd turpitudinis ſtulta & puerilis ſit cupiditas, vel quòd in amantibus imperfectus ſit ſermo & pœne puerilis: *alatũ*, quòd nihil amantibus ſit incõſtantius ſeu volubilius: *Sagittariũ*, quaſi ſagittis incerta iaculantem. Orpheus & *cæcum* dixit, quòd amor omnem intellectum excæcet.

Elegans exſtat Sex. Propertii in CVPIDINEM Elegia lib. II.

Quicunq. ille fuit puerum qui fecit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuiſſe manus? &c.

Michaëlis quoq. Marulli hominis Græci venuſtum epigramma apponere libet:

Quis puer hic? Veneris. plena quid cauſa pharetra?
Non bene prouiſus certa quòd arma mouet.
Cur ſine veſte Deus? ſimplex puer odit apertum.
Vnde puer? pueros quòd facit ipſe ſenes.
Quis pennas humeris dedit? inconſtantia. Quare
Nulla Deo frons eſt? ſigna inimica fugit.
Quæ ſors eripuit lucem? immoderata libido.
Quæ macies? Vigilis cura dolórq. facit.
Qua cæcum præit? Ebrietas, ſopor, otia, luxus.
Qui comites? rixæ, bella, odia, opprobrium.

Cur autem ſenes amore torqueantur, iuueneſq. ante diem cadant, elegans exſtat in lib. Authologias Epigramma de Amore & Morte, & in Emblematis Alciati:

Mors & Amor quondam tectum venêre ſub vnum,
Miſtáq. in hoſpitio tela fuerê ſimul.
Cùm nondum clara diſceſſum luce pararent,
Mortis tela puer, mórſq. tulit pueri.
Hinc iuuenes occidit Amor fallente pharetra,
Hinc mors ipſa ſuos cogit amare ſenes.

CVPIDINIS.

Ex nummo argenteo
C. Egnatij Maxſumi

Tyndarei & Ledæ filii, vt Homerus: vt Hesiodus, Iouis & Ledæ. Pindarus verò scribit POLLVCEM ex Ioue, CASTOREM ex Tyndareo genitum.

CASTOR mortalis natus est, POLLVX immortalis, sed huius precibus CASTOR quoq. immortalitate donatus est, vt refert Pindarus.

Theocritus eos διθλητῆρας in Idyllio peculiari Dioscurorum nomine inscripto appellat. Quin etiam POLLVCEM διθληφόρον & CASTORA ἱππόδρομον cognominatos reperimus. Isidorus lib. x. de Ludis Circensibus cùm loquitur: *Itaque*, inquit, CASTORI & POLLVCI *deputantur hæ ludorum species, quibus à Mercurio distributos equos historia docent.*

Sub forma duorum fratrum effingebantur, robusti, formosi, in capite pilea habentes, hinc *Pileati fratres* Festo & Catullo:

A pileatis nona fratribus pila.

Suidas, authore Aeliano, horum effigies hoc modo ferme describit: Duo enim simulacra eorum fuisse ait, pari iuuentute, genas habetes imberbes, forma simili, inque humeros chlamydem, & enses sub clamyde haberent, & hastas erectas, quæ per dextram & sinistram extollebantur.

Supra caput flammam igneam habere videntur, qualem iis ait Orpheus apparuisse. Appuleius in x. Metamorph. cassides in capite refert gestare, stellarum apicibus insignes, vt hic vides. Vterque autem in cœlo stellam habuit, de qua Flaccus:

Sic fratres Helenæ lucida sidera.

Castores etiam interdùm equis albis insidentes apparuerunt, vt P. Vatinio cùm è prætura Reatina Romam veniret; cui eo die Persen Macedoniæ regem captum annunciarunt Cic. II. de Natur. Deor. Val. Maximus lib. I. cap. VIII. Scriptor de viris illustribus cap. XVI. de A. Postumio.

Lego apud Ciceronem in foro ab A. Postumio ædem his dedicatam: quæritur hoc tempore à multis, qua fori parte esset hæc *Castorum* ædes, Quidam SS. Cosmi & Damiani templum existimant: alii, iuxta Iuturnæ fontem, quod innuere videtur Ouidius in Fastis. Mirandum authores inter se dissentire, cùm tamen frequens sit eius templi mentio Cic. Liuio, Plutarcho, Horatio, Catullo, Plinio, aliis, vt verisimile sit non vnum, sed plura fuisse.

CAST. & POLLVCIS.
Ex nummo argenteo M.
Cordi Rufi.

PENATES Dii præsides ac tutelares, quos etiam Lares vocabāt, & alio etiam nomine μεγάλους & πατρώους vnde Maro:

Dii patrii seruate domum —— & alio loco

—— *patriiq. Penates*

Et:

Cum sociis, natoq. Penatibus & magnis Diis.

Hi sunt per quos spiramus, per quos corpus & animi rationem (vt more gentili loquar) habemus, vt Dionysius lib. 1. Antiq. Romanarum latius disseruit. Nigidius verò referente Arnobio, PENATES Deos Neptunum Apollinemq. esse prodidit, qui mœnibus Ilium circumcinxerunt. Hos secum in Italiam hinc tulisse Aeneam auctor & multis in locis Maro, quos sæpè etiam in somnis eum ait monuisse.

Effigies sacra Diuûm Phrygiiq. Penates,
Quos mecum ex Troia mediisq. ex ignibus vrbis
Extuleram visi ante oculos astare iacentis
In somnis.

Quatuor autem PENATIVM genera produntur. Nam alii sunt Iouis, alii Neptuni, tertii inferorum, postremi hominum. Sed Lares tectorum domuumq. custodes, modò Curetas & matris Magnæ Gallos, modò Manes, nunc aëreos Deos, nunc laruas esse voluerunt.

Dicti autē PENATES, vt placuit Tullio, à penu, siue ab eo quòd penitus insident, ex quo etiam *Penetrales* dicebātur. Hinc & Festus ait, *Penetralia* esse PENATIVM sacraria. Virgil.

Aeternumq. adytis effert penetralibus ignem.

Horum porrò ædem in ea parte Palatini montis, Macrobius ait sitam, quæ ad Boream vergens, Veliā dicebatur. Liuius in v. Decad. *Aedes Deorum Penatium in Velia de cælo tacta est*. Scribit Aelianus, hirundinū genus Deis *Penātibus*, & Veneri, quæ ipsa quoque è numero *Penatium* putabatur, charum existimatum esse ab antiquis.

PENATIVM.
Ex nummo argenteo
C. Sulpici C. F.

PRIMVS ille vrbis & regni conditor *Romulus*, constituto Imperio populi Romani, mortuus in Deos relatus est, dictusq. vt Heroës solent, à morte *Quirinus*,

Siue quòd hasta Quiris priscis est dicta Latinis,
Seu quòd Romanis iunxerat ille Cures.
Siue suo regi nomen posuere Quirites,
Multaq. Romulea bella parata manu.

Alii tamen QVIRINVM vocatum volunt, quasi κοίρανον *Dominum*. Dictus adhuc infans *Romus*, vt frater eius *Remus*, post ὑποχορισικῶς *Romulus*, à ficu vt creditur *Ruminali*, vel quod lupæ *Ruma*, id est mamma nutritus est, vt in numis Antonini Pii aëreis.

De huius rebus præclarè gestis T. Liuius, Halicarnass. Plutarch. in Romulo, & L. Florus, qui pœnè omnes in eius origine, excessuq. discrepant: alii fulmine ictum, alii à Patribus discerptum tradiderũt. sed tamen tam atroci morte pereuntem, augustiore quadã forma & pœne diuina, sibi in via extra vrbem apparuisse dixit Iulius Proculus, cui populus nimium, vt fit, in re læta credens, *Romulum*, in Deorum numerum retulit.

Itaq. postea in eius honorem *Quirinalia* instituta, quæ XII. Kal. Maii peragebantur. quæ & *Feriæ Quirini* dictæ. Varro & Ouidius.

QVIRINI.
Ex numno argenteo
C. Memmij C.F.

GENIVS, Aurelii Augustini, ex Varronis sententia, testimonio, Deus est, qui præpositus esse gignendis, ac omnium rerum vim habere gignendarum credebatur: qua ratione Cebes Thebanus in Pinace suum posuisse senem dæmona, id est, GENIVM visus est. Plutarchus GENIVM esse ait, qui vnicuiq. nostrûm insit, qualis Socrati adfuisse ab eodem in singulari libello & Appuleio scribitur.

A *genendo* deriuant litteratores, *geno* enim, pro *gigno* vsurpabant veteres, vnde & *genetrix*.

GENIVM quidam loci cuiusq. Deum putauerunt, vnde Sallustius libris Historiar, loci *genium* pro naturâ dixit, qui GENIVS in loci aditu atq. ingressu more institutoq. maiorum, salutabatur. Virgilius.

Incertus Genium ne loci, famulumúe parentis
Esse putem ——— ———

De quo multa Martinus Delrius Soc. Iesu Presb. (quo ciue meritò Antuerpia nostra gloriatur,) commentario in Senecæ Tragici Agamemnonem.

Huic Deo res vino & floribus fiebat. Horat. in Epistolis:

——— ——— *piabant*
Floribus & vino Genium memorem breuis ævi.

Et Persius:

Funde merum Genio ——— ———

Hic GENIVS interdum duobus anguibus repræsentabatur. Apud eundem:

Pinge duos angues ———

Habuit & pop. Romanus GENIVM qui hic spectatur, & apud Fuluium in gente Cornelia pag. XI. & apud Lilium Syntagmate XV. De hoc Dio lib. L. *Bubo*, inquit, *in templum primùm Concordiæ, deinde in reliqua fere omnia, quæ sanctissima habebantur, delubra deuolauit: ac cùm vndique exigeretur, in ædem* GENII *populi consedit, ac neq. captus est, & tarde admodùm auolauit.* Tertullianus scribit maximum fuisse apud veteres iuramentũ, per Principum *Genium* iurare. Suetonius in Caligula, multos ab eo supplicio affectos, qui per eius *Genium* iurauerant, prodit.

GENII P. R.
Ex nummo argenteo
Cn. Cornelij Lentuli

NVMA Pompilius cùm publicum priuatumq. agrum certis limitib. terminisq. definiuisset, ædem Deo *Termino* in colle Tarpeio traditur erexisse, cui nihil ἔμψυχον sed liba tantùm, pultes, frugumq. primitiæ immolarentur.

Ouidius tamen illi agnam & porcam in secundo Fast. immolari prodidit. Item Horatius:

Vel agna festis cæsa Terminalibus.

Halicarnass. lib. II. Antiq. *Statuit*, inquit, *Numa, vt quisq. suo contentus esset, nec aliena appeteret. Iussit vnumquemq. fundos suos circumscribere, sacrósq. finibus lapides apponere, quos Ioui Terminali sacrauit, statuitq. vt sacra quotannis omnes die stata & constituta facerent, super locum ipsum cocuntes, festo etiam die constituto Terminalium Deorum.* Lege & Plutarchum.

Hic Deus saxi forma positus est, vnde & ea forma termini agrorum publicorum, priuatorumq. ponebantur, licet etiam postea stipes & arbor, vel tegula loco termini fuerit constituta. Quod his versibus in Fastis Ouid. insinuauit:

Termine, siue lapis, siue es defossus in agris
Stipes, ab antiquis tu quoq. nomen habes.

& Tibullus:

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in triuio florida serta lapis.

Sed de Termino lapide suprà in *Saturno*.

Tarquinius priscus cùm augustum Ioui, Iunoni, & Mineruæ tẽplum à primis fundamentis excitare cuperet, terramq. erueret, reperit plurimos Deos, à Numa & T. Tatio dicatos, & omnes quidẽ Ioui cessere & locum dedere, *Iuuentas* verò & *Terminus* cedere noluerũt, auctores Dionysius & Plutarchus. hinc Virgilius illum *Capitoli immobile Saxum* vocat. Sed Titus Liuius, Florus, & Seruius ad Tarquinii superbi facta referunt. exstat hæc Historia apud Varronem, citante Agellio lib. XII. cap. VI. ænigmate circumscripta.

Semel minuisse, an bis minus sit, non sat scio,
An vtrumq. eorum, vt quondam audiui dicier,
Ioui ipsi regi noluit concedere.

Qua Historia apertè Imperii Pop. Romani diuturnitas & perpetuæ gloriæ series demonstratur.

TERMINI.
Ex nummo argen-
teo, Q. Titi.

M. Terentius Varro Togatorum doctiſsimus, lib. 1. de re ruſtica inter duodecim Conſentes Deos Agriculturæ præſides BONVM EVENTVM nominat: primò Iouem & Tellurem, qui & parentes Magni dicuntur, Iuppiter ſcilicet pater, & Tellus mater: ſecundò Solem & Lunam, quorum tempora obſeruantur: Tertiò Cererem & Liberum, quòd ab his cibus & potio venit in fundo: quartò Robigum & Floram, quibus propitiis, neq. rubigo frumenta, neq. arbores corrumpit, neq. non tempeſtiuè florent, vnde *Robigalia* & *Floralia*: tum Mineruam & Venerem, quarum vnius procuratio oleti, alterius hortorum, vnde & Ruſtica Vinalia inſtituta: demum Lympham & *Bonum euentum*, quoniam ſine aqua & ſucceſſu miſera eſt agricultura, & fruſtratio quædam.

Plinius lib. xxxv. tradit Euphranorem ſimulacrum BONI EVENTVS feciſſe, vt dextrâ pateram, ſiniſtrâ ſpicam ac papauer teneret. atque etiam Praxitelem ſummum artificem eius ſimulacrum in Capitolio depinxiſſe. Templi *boni euentus* quædam etiam nunc veſtigia, Romæ cernuntur, inter Mineruam & S. Euſtachium, vt à pleriſq. creditur.

BONI
EVENTVS.
Ex numo argenteo
L. Scribonij Libonis

VIRTVTI subiici HONORIS effigies deberet, quòd hæc duo semper coniungerentur, sed nos ordinem secuti nostrum, alio loco posuimus. Ita porrò HONORIS templum constructum videbatur, vt accedi, nisi per *Virtutis*, nequaquam posset: qua obseruatione docemur HONOREM non malis artibus, sed ipsa sola virtute parandum esse. Huic rem diuinam Romani cùm facerent, aperto capite fuisse auctor est Plutarchus, & *Honorem* δόξαν vel τιμὴν est interpretatus: An, inquit, *quòd splendidum quiddam sit honos, atq. ob id etiam splendidis & illustribus viris caput aperire solemus, & perinde ei Deo caput aperiendum cùm sacrificamus.*

Scriptor de Viris illustrib. tradit Fab. Rutilianum instituisse, vt Equites Romani Idibus Quinctilib. ab æde HONORIS equis insidentes in Capitolium transirent. Vide Iacobum Ræuardum lib. II. Variar. cap. XV.

Meminit etiam huius Dei Cic. II. de natur Deor. *Vides*, inquit, *Templum* HONORIS *à M. Marcello renouatum, quod multis ante annis erat bello Ligustico à Q. Maximo dedicatum.* T. Liuius lib. XXVII. *Marcellum*, inquit, *aliæ atq. aliæ obiectæ animo religiones tenebant, in quibus quod cùm bello Gallico ad Clastidium ædem* HONORI & VIRTVTI *vouisset, dedicatio eius à pontificib. impediebatur, quòd negabant vnam cellam duobus Diis rectè dedicari, &c.*

Quin etiam C. Marius ædem HONORI & VIRTVTI construxit, de qua, vt alios præteream, ita Vitruuius lib. XII. C. inquit, *Mutius magna scientia confisus, ædes* HONORIS & VIRTVTIS *Marianæ cellæ, columnarúmq. & epistyliorum symmetria legitimis artis institutis perfecit. Id verò si marmoreum fuisset, vt haberet quemadmodum abarte subtilitatem, sic à magnificentia & impensis auctoritatem, in primis & summis operibus nominaretur.*

Exstant numi varii, in quibus iunctim HONOS VIRTVS Q. spectatur, vt Cordi Caleni, cuius in auersa parte Italia & Roma, in altera VIRTVS armata, & HONOS coronatus lauro. Item Vitellii, vbi VIRTVS militari habitu, muliebri verò HONOS conspiciuntur.


HONORIS.
Ex numo argenteo, Italiæ
et Romæ statuas exhibente.

SORTEM eandem cum *Forte* credidit Antiquitas, & apud Horatium sic pleriq. Sat. 1. legunt:

Qui fit, Mecænas, vt nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa
Contentus viuat——vbi vulgo *seu fors* editur.

Donatus in Terentii Phormione ita distinguit: *Fortuna*, inquit, *dicta est res incerta: Fors Fortuna, euentus fortunæ bonus.* & mox: *Aliud Fortuna est, aliud Fors fortuna, Nam Fors fortuna est, cuius diem festum colunt, qui in arte aliqua viuunt.* Huius ædes trans Tiberim est, vt in antiquis Fastis & apud Ouid.

Quàm cito venerunt Fortunæ Fortis honores,
Post septem luces Iunius actus erit.
Ite Deam læti Fortem celebrate Quirites,
In Tiberis ripa munera regis habet.

Vbi VIII. Cal. Quinctil. eius coli festum ostendit. Hanc autem à Tullio primùm dedicatam legimus, tum & ab aliis postea. Nam & in hortis à Cæsare relictis iuxta fluuium etiam fuisse legimus. Sed longè ante hanc eius cellam T. Liuius lib. XXVII. Romæ aliam nominat, vbi prodigium narrat, à capite scilicet eius coronam in manus delapsam esse. Idem alio loco Papirium ait de reliquo aere, quod in ærarium intulerat, ædem *Fortis Fortunæ* de manubiis faciendam locasse, prope ædem eidem Deæ à rege Seruio Tullio dedicatam. Quamquam, nequid dissimulem, cùm apud auctores citatos *Fortis Fortunæ* lego: cur non genitiui esse queant, à duobus rectis *Fortis fortuna*, nam casus in quibus citaui vtriq. conueniunt. Sed vtrius de æde loquantur auctores, longum foret inquirere, hac de re iudicent alii.

SORTIS.
SORS.
Ex nummo argenteo,
M. Plotij.

FORTVNÆ ANTIATIS ita meminit Horatius lib. 1. Od. XXXV.

O Diua gratum quæ regis Antium,
Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funerib. triumphos.

Quos versus hoc modo Acron interpretatur: *Apud Antium Fortunæ templum est famosissimum, multorũ etiam principum donis ornatum, vnde ciuitas ipsius tutelæ dicta est.* Cui ascribit & Macrobius lib. 1. se apud Antiũ vidisse promoueri simulacra *Fortunarum* ad danda responsa. Meritò autẽ dicit *Fortunarũ*, quia duæ sunt, altera enim REDVX est, quam, teste Martiale, Domitianus coluit.

Hic vbi Fortunæ Reducis fulgentia latè
Templa nitent —— &c.

Et huius Claudianus ita meminit.

Aurea Fortunæ reduci si templa priores
Ob reditum vouere ducum, non dignius vnquam
Hæc Dea pro meritis amplas sibi posceret ædes.

Suetonius in Caligula *Antianam* dicere videtur, vel potius Antiatinam. Codices enim variare videmus. Apud Plautũ in Rudente quoq; mentio *Fortunæ anatinæ.* Sed hic iocus Plautinus, nõ Deæ cognomẽ, ab anate aue desumptum est, quæ aqua, non madefacta, exit.

FOR. ANTIATIS.

Ex nummo argenteo Q. Rustij.

IOVIS Aegyptii filia, Osiridis soror & coniux, de quibus singulari libello Plutarchus. ISIDEM porrò eandem esse cum *Luna* docent simulacra, quoniã nigris vestibus & cornigera ad similitudinẽ *Lunæ* effingebatur, qualis hic pænè apparet. Sed enim Isis credita est Aegypti genius, qui per sistri motum, quod gerere videbatur dextra, Nili accessum significabat. Horapollo verò in Hieroglyphicis annum ait *Iside* significari: *Annum*, inquit, *significare volentes*, ISIM, *hoc est mulierem pingunt: hoc eodem signo Deum intelligi volunt. Nam apud ipsos stella est Isis, Aegyptia lingua Sothis appellata, Græca verò Astrocyon*: quod etiã Photius C.P. Patriarcha in Bibliotheca ex Isidori vita prodidit.

Sunt qui *Deam Syriam* eandem faciunt cum ISIDE, sed libello Luciani *de Dea Syria* facilè redarguuntur: alii *Pallada*, alii *Cererem*, vt in eodem libello, de quo suprà Plutarchus.

Aelianus lib. x. de animalibus cap. XXIII. tradit Copton vrbem esse Aegypti, in qua eo cultu ISIS coleretur, quo aut coniuges aut liberi à lugentibus solent: eoq. loco perniciosissimos esse serpentes & scorpiones, qui morsu statim necent: quos vt vitent, omni diligentia & cautionibus studeant Aegyptii, &c.

Nominata autem est his nominibus.

τιθηνή	Atmis.
παυδεχής.	Pelagia.
Patricia.	Linigera,

Quod eius sacerdotes lineis vestibus induerentur. Ouid.

Vidi ego Linigeræ numen violasse fatentem
Isidis Isiacos ante sedere focos.

Iuuenalis:

Qui grege linigero circundatus, & grege caluo.

Nam ISIN ferunt intellecta Osiridis mariti morte, in luctu caput totondisse: quod etiam tum sacerdotes: imitabãtur. lege Apuleium, Diod. Siculum, Cor. Tacitum & Lucianum in Dialogis.

Habeo numũ cũ *Iside* & sistro, adiũcta Ciconia, qua Aegyptũ exprimũt nefas enim erat Aegyptiis vllã occidere. Plura hac de re apud Antoniũ le Poix, Ducis Lotharingiæ Medicũ, lib. de Numis antiq.

ISIDIS.
Ex numo argenteo; in cuius dorso, Vota publica.

EIVS effigies in multis tam aureis, quàm argenteis numis non modò Imperatorum, verùm etiam Consulum curá reperitur apud Hubertum Goltzium, Ant. Augustinum v. cl. Dialogo III. Antiquitatum, fuluium Vrsinum, & Adolphum Occonem. Neronis quidem Claudii, ROMAM præfert armis insidentem, dextraq. coronam porrigentem ciuibus fortasse, aut viris fortibus. Vespasiani verò vnus quidem armatam ostendit, dextrâ victoriam alatam cum corolla tenētem, sinistrâ hastam: alter verò septem insidentem collibus manuq. parasonium (qui pugio est sine cuspide) tenet, ad pedes Tiberis fluuius est. Alias porrò picturas hic transeo.

ROMAM porrò pro Dea cultam auctor Xiphilinus ex Dione, & Martialis lib. XII. Epigram. VIII.

Terrarum Dea gentiúmque ROMA,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Ad quos versus & Iulius Frontinus lib. II. de aquæductib. Spartianus in Hadriano, Tacitus XIV. Prudentius lib. I. in Symmachum alludunt. Hinc & AETERNA dicta est. Ausonius:

Ignota æternæ ne sint tibi tempora Romæ.

Symmachus lib. III. Epist LV. Ammianus Marcellinus lib. XV. & XIX. Quin etiam *Flamines* & sacerdotes tanquam singularis quædam Dea adepta est: testis est inscriptio illa Lugdunensis in Gallia in basi:

SERVILIO.
MARCIANO.
ARVERNO.
C. SERVILII.
DOMITI. FILIO.
SACERDOTI. AD.
TEMPLVM. ROMÆ.
ET. AVGVSTORVM.
TRES. PROVINCIÆ.
GALLIÆ.

ROMAE.
Ex nummis argenteis
Consularibus.

A VIRIBVS vel à viro dicitur, quòd teste Cicerone, virum VIRTVS maximè honestet. Est autem VIRTVS, vt ait Lactantius, *Perferendorum malorum fortis & inuicta patientia*, apud quem & illa Lucilii leguntur carmina:

VIRTVS *est homini, scire id quod quæq. habeat res,*
VIRTVS, *scire homini rectum, vtile, quid sit honestum:*
Quæ bona, quæ mala, quid sit inutile, turpe, inhonestum.
VIRTVS, *quærendæ rei finem scire, modúmq.*
VIRTVS, *diuitiis pretium persoluere posse,*
VIRTVS, *id dare, quod reipsa debetur honori,*
Hostem esse, atque inimicum hominum, morúmq. malorum,
Contrà, defensorem hominum morúmq. bonorum.

Hæc Lucilius. plura VIRTVTIS elogia & commendationes apud Gnomologos Græcos & Latinos è scriptis Philosophorum & poëtarum reperies, quæ non est huius temporis connectere.

Hanc Romani Deam fecêre, teste Aurel. Augustino, cui ædem vouisse suo primo cõsulatu C. Marcellum legimus, quam eius postea filius ad portam Capenam dedicauit, vt tradunt Liuius, Valerius Max. & Plutarch. Alteram C. Marius summisiorem excitauit, ne publicis auspiciis fortè officeret, eamq. propterea augurum collegium demoliri iuberet.

M. Tullius lib. 11. de legib. VIRTVTEM coli iubet. Iuuenalis:

Vt colitur, Pax, atq. Fides, Concordia, VIRTVS,

Plautus in Amphitryone prologo, in quo Mercurium introducit VIRTVTIS meminit, interq. Deos ponit.

Varia autem apud antiquos forma effingebatur, nunc honesto & matronali induta habitu, nunc quadrato insidens saxo; hic autem armata est, quòd VIRTVS fortitudinem roburq. designet: in Maximiani Aug. numo, Hercules cornibus ceruum comprehendens spectatur; virili quoq. habitu in Gallieni & Alexandri Impp. denariis, Extat & in numo M. Val. Acilii, hac forma: Mulier erat columnæ læuo nixa cubito, dextera serpentem tenens. Sæpè etiam HONOS VIRTVTI addebatur, quòd etiam templa coniuncta haberent, de quo suprà, vnde illa apud Tullium DVCE VIRTVTE. COMITE FORTVNA, similiter coniunguntur. Plura Numismata Ant. Augustinus Præsul CL. dialogo 11. Antiquitatũ,

VIRTVTIS.
Ex numo argenteo M'
Aquilij M'. F. M'. Nepotis.

NON hîc de Virtute Iuſtitia agemus, de qua pleni ſunt Philoſophorum ac Iureconſultorũ libri, ſed de IVSTITIA quã loco Deæ coluit antiquitas, à Græcis *Aſtræam* nuncupatam. Ouid.

Vltima cæleſtum terras Aſtræa reliquit.

quin etiã teſte Polluce δίκη appellatur, huic duos hymnos Orpheus cecinit, alterum quidem δίκη, alterum verò δικαιοσύνη, & vtriq. adolet Thus. Hanc finxerunt Aſtrologi ſignum in Zodiaco, quod *Virginem* nominant, & præſertim Græcus interpres, ad ea verba, quib. ait manibus ſplendentem ferre ſpicam: *Quidam aiunt Aſtræum antiquum fuiſſe Mathematicum, qui primus aſtrorum inuenerit appellationes, vnde & ſiderum pater.* Alii Aſtræam Iouis & Themidis filiam, vt Heſiodus, eſſe dicunt, de qua ſingularis libellus Stephani Pighii hominis doctiſsimi *Themis Dea.* Alii Aſtræi & Hemeræ, id eſt *Diei* filiam putauêre.

Sic autem Chryſippus apud Agellium lib. XIV. libro περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς depingit. *Imaginem* IVSTITIAE *fieri ait forma atq. filo virginali, aſpectu vehementi & formidabili, luminib. oculorum acribus: neq. humilem neq. atrocem, ſed reuerendæ cuiuſdam triſtitiæ dignitate.* Pauſanias eam formoſa depingit facie, obſtricto collo iniuriam continentem, & fuſte acriter ferientem. Apud Aegyptios capite truncam fuiſſe ſcribit quidam, quam per manum ſiniſtram porrecta palma diſcapedinatam effingebant, propterea quòd ſiniſtra genuina pigritia nullâ calliditate prædita videatur, & ideo æquitati potiùs quàm dextra conueniat. Noſtri autem ſæculi Pictores vel oculis clauſis, vel cum libra, & ſtatera, vel cum virgarum faſce exhibent. Memini quoq. vidiſſe depictam hoc modo: Nuda virgo, quadratum ſedens ſuper lapidem, & æquatam manu altera bilancem tenens, exertumq. altera ſub ala, enſem quodammodo occulens.

IVSTITIAE.
Ex numo ęreo Corinthi-
aco Tib. Cęsaris.

FELICITAS.

FELICITAS, quam Græci εὐδαιμονίαν, antiquis etiam Dea existimata est. Plinius lib. XXXV. Huius Deæ simulacrum Archesilao plastæ locatum à L. Lucullo H S. LX. tradit, cui mors vtriusq. inuidit. Meminit & huius Deæ D. Augustinus: *Quid quòd & FELICITAS Dea est, cur non ipsa vna, quæ coleretur constituta est, quæ posset vniuersa conferre, & compendiò facere felicem?* Et mox: *Cur denique tam serò huic tantæ Deæ post tot Romanos principes, Lucullus ædem constituit? L. enim Licinius Lucullus anno ab* VC. DCLXVI. *Cos. cum* M. *Cotta construi curauit.* Et alibi: *Quid quòd & Felicitas Dea est ædem accepit, aram meruit, sacra ei congrua persoluta sunt, &c.*

Exstant Numismata varia, in quibus hic argenteus *L. Cornelii Sullæ Fausti Fel.* quod illi cognomen rebus aliquandiu ex voto fluentibus inditum fuisse auctor est Plutarch. & scriptor de viris illustrib. filium quoque *Faustum* & filiã *Faustam* cognominauit. Et Iuliæ Mammææ Augustæ numus, in cuius auersa parte fœmina in solio sedet, dextra caduceũ, sinistra copiæ cornu tenens, hac inscriptione FELICITAS PVBLICA. qua multi nummi FOELICITATIS insigniuntur, vel FELICITAS AVG. vel TEMPORVM, & SAECVLI, apud Adolphum Occonem & Ant. Augustinum Dialogo 11. Antiq.

Nec illud prætereundũ, in multis denariis per duplex EE FEELIX E pro longo scribi: peccant igitur qui per oe FOELIX scribunt, vt docuit Manutius in Orthographia.

Cebes Thebanus Platonis discipulus in Tabula describit in eminenti quopiã arcis vestibulo FELICITATEM in solio sedẽtem, liberali ornatu comtam, & florentissimo serto coronatam. Patet ex Dione lib. XLIV. C. Iulium Cæsarem Dictatorem FELICITATIS templum inchoasse, quod Lepidus Magister equitum absoluit.

FELICITATIS.
Ex nummo argenteo L. Cornelij Sullæ Fausti Fel. Aug.

EIVS ædes in Capitolio, teste Plinio lib. xxxv. Histor. M. Cicero lib. III. Offic. FIDEM ait vicinam Ioui Capitolino: in II. de Natur. Deor. ab Attilio Calatino consecratam scribit. Festus etiam ante vrbem conditam ab Aenea in Palatio dedicatã. Dionysius Halicarnass. lib. II. Antiquit. Numæ tribuit: *Primus*, inquit, *ipse omniũ templum* FIDEI *publicæ erexit, sacrificiaq. ei statuit sumtu publico, sicut de aliis.* Eadem pœnè Plutarch. Eiusdem FIDEI maximum statutum fuit iusiurandum, cuius & Cic. in Officiis meminit. Liuius in primo Numam FIDEI sollenne ait institutisse sacrum, ad quod sacrarium rem diuinam facerent. vnde & Plauti illud in Aulul. *Hoc mihi factu' st optumum, vt te auferam aula, in* FIDEI *fanum, ibi astrudam probè.*

Meminit & FIDEI Deæ Cornelius Nepos in Attici vita, tametsi *Phidiæ*, alii, nonnulli *Philiæ* reponant.

Sine cæde, ferro, & sanguine res fiebat FIDEI, sed sacerdotes albo panno velabantur, indicantes FIDEM rectam & candidam esse debere, vnde Horatius. I.

——*albo rara* FIDES *colitur*

Velata panno —— & Maro:

Cana fides ——

Vide amborum interpretes.

Ostendebatur interdum in Denariis, duabus iunctis manibus, interdum imagunculis duabus dextram dextræ iũgentibus, vt in plerisq. apud Ant. Augustinum Dialogo II. Antiquit. Ad quod alluſit Virgil.

Accipe, daq. fidem — &:

Iungimus hospitio dextras — Statius:

Iam pariter cõeunt animorum in pignora dextræ.

Liuius: *Dextra data fidem futuræ amicitiæ sanxerunt.* Et libro XVII. Tacitus: *Dona dedit legionibus, & dextras hospitii insigne.*

FIDEI.
EX numo argenteo A. Licinij Neruę Siliani III iuri.

PAX.

PLVTARCHVS in Cimone, PACIS aram Athenis dicatam tradit, cùm cõditiones pacis à Persis Athenas Callias legatus detulisset. Romæ templum eius fuit splendidum & ornatũ, quod inchoatum à Claudio ære suo Vespasianus absoluit: auctores Iosephus, Dion, Suetonius, Plinius, quod foro proximum Imp. constituit. Solebant hoc templum frequentissimè ægroti inuisere, vt è Galeno colligo: *Quam censes pugnam fore? Anne talem, qualem frequenter in templo* PACIS *& inter ægrotos conspicimus, adeo vt etiã ad manum res veniat, tantum abest vt turpi dicto abstineant.* Sed temporibus Cõmodi, tanta illa moles templi tantusq. splendor incendio consumta sunt.

Pingitur autem hic in numismate Cæsaris Octauiani, virginali forma, cum oleæ ramo & cornu copiæ, oliua autẽ PACIS est symbolũ, estq. Mineruæ sacra, quæ scientiarum præses est, & quod oleo lucubrationes studiorum fiunt, quæ PACIS vigent temporibus: PACIS enim *alumnam* Cic. eloquentiam vocat: at contrà *inter arma silent leges*. Cornu copiæ rerum omnium PACIS temporibus abundantiam designat, in quo & spicæ conspiciuntur interdum, & vomer, quo terra proscinditur, & lætæ fruges existunt, vt copiosè Ant. Augustinus VCL. Dialogo II. Antiquit. Aristophanes poëtarum festiuissimus in Acharn. PACEM formosam describit, sociam Veneris & Charitum, eiusq. sacrificium copiosè exequitur, quem reuolue.

Non iniuria autem ipse Augustus nummos suos PACIS insigni signauit, cùm eo rerum potiente, PAX toto orbe terrarum efflorvit, pacisq. auctor Christus Saluator noster natus in orbem pacem attulerit.

PACIS.
Ex nummo aureo
Cęsaris D.F.

DIVERSA templa Romæ habuit. Vnum quod Camillus vouit teste Ouid. in Fastis, & Plutarcho. Postea verò Flauius scriba Appii Claudii Cæci, Annio libertino patre natus, qui dies festos publicauit, aream fecit. Eam ædem CCCIV. annis post Capitolinam dedicatã tradunt. Hinc apparet ædem Capitolinam CONCORDIÆ fuisse aliam, quam iuxta templum Iunonis Monetæ Camillus vouerat. Alterum prius Liuius lib. XXII. votum ait L. Manlio Prætore Galliæ, ob seditionem militarem, quod biennio post Senatus locandum curauit. Certè & D. Augustinus lib. III. de Ciuitate tradit ædem CONCORDIÆ post Gracchorum tempora constructam fuisse, quam etiam Opimius Cõsul instaurauit. Quin etiam Iulio Cæsari à Senatu permissum est vt nouum CONCORDIÆ templum ædificaret teste Dione lib. XLIV. Aliã ædem Tiberius Cæsar dedicauit, quam eius mater Liuia constituerat. Lege Suetonium. Dion quoq. lib. LVI. ait, à Tiberio hanc ædem dedicatam esse, & in ea suum fratrisq. Drusi mortui nomen scripsisse, Ouid. in Fastis de Tiberio:

Templáq. feciſti, quam colis ipſe, Dea:
Hæc tua conſtituit genitrix. & rebus & ara. Idem:
Te quoq. magnifica CONCORDIA *dedicat æde*
Liuia, quam caro præſtitit illa viro.

CONCORDIÆ sacrificium Seneca in Medea his versibus:

Quæ dat belligeris fœdera gentibus,
Et cornu retinet diuite copiam,
Donetur tenera mitior hoſtia.

De CONCORDIA Iuuenalis:

Qúæq. ſalutato crepitat CONCORDIA *nido* ——

Vbi alii Cornicem, vt Politianus in Miscellaneis, alii Ciconiam interpretantur. Aelianus auctor est, olim veteres in nuptiis post Hymenæum, cornicem inuocare solitos fuisse, hocque CONCORDIÆ signum dare iis, qui liberorum quærendorum gratiã conuenissent. Probus vero, Templum, inquit, *Concordiæ* vetus fuit, in quo Ciconia multa. Amice lector, vtrum mauis, elige, non de salute tua agitur, sed de lana caprina.

CONCORDIÆ.
Ex nummo argenteo
P. Fontei Capit. IIIViri.

In primis à Romanis Dea habita & culta est. EIVS templum Pub. Victor in Auentino constituit, & ibidem eius atrium addit, cuius crebra apud varios auctores mentio. Hoc templum Liuius ex multatitia pecunia cum æreis columnis, & statius pulcherrimis à T. Sempronio Gracchо & conditum scribit, & dedicatum. cuius atrium ab Aelio Pœto & Corn. Cethego Censorib. instauratum & auctum, demum & à Pollione fuisse restitutum testis est Tranquillus.

M. Cicero in oratione pro Domo sua ad Pontifices, ait domum suam à Clodio contra fas & ius Populi Romani Deæ LIBERTATI esse consecratam, quasi Clodius Cicerone expulso patriam à paricida liberasset. Quin etiam teste Dione lib. XLIIII. Patres & Senatus post victoriam, Cæsarem LIBERATOREM PATRIAE appellarunt, LIBERTATI Q. templum construxerunt.

Nec minus apud Græcos LIBERTATEM & Liberatores Deos cultos legimus, ἐλευθερίαν & ἐλευθερίους θεοὺς, vt fuit ζεὺς ἐλευθέριος *Iuppiter asſertor.*

Libertatis signum, pileus est, vnde & qui libertate donarentur, serui, capite raso pileum accipiebant, vt ex Plauti Amphitr. & Polybii Fragmentis notissimum est quo modo in M. Bruti Cæsaris percussoris numis formata est, à quorum vna parte *ipsa Libertas*, ab altera duo pileo appositi pugiones cum hac inscriptione EID. MAR. quo die Cæsar tribus & viginti in curia à Cassio & Bruto ceterisq. percussoribus confossus vulneribus occubuit.

Plura si voles consule Ant. Augustinum Dialogo I. & II. Antiquit.

LIBERTATIS.

Ex nummo argenteo
Bruti, C. Iulij percuſſo.

BACCHVS LIBER à poëtis nominatur, vel à linguæ licentia, vel quòd animum curis liberet, & pellat tristitiam. Quid.

Cura fugit multo diluiturq. mero,
Tunc veniunt risus, tum pauper cornua sumit,
Tunc dolor & curæ, rugaq. frontis abit.

Aliam rationem reddit Diodorus, Dionysium nimirum iussisse in Bœotia, in patriæ suæ gratiam, vt omnes vrbes liberæ essent, condita etiam de suo nomine ciuitate, quam Eleutheras appellauit. Sed tamen Plut. in Problem. quærit, Cur Bacchũ LIBERVM vocent? An quòd bibentibus causa sit libertatis? fiunt enim pleriq. potu licentiores: An quòd libationem inuenerit? An verò quod pro Bœotiæ libertate pugnarit? D. Augustinus ideo LIBERVM appellatum ait, quòd mares in congressu per eius beneficium emissis seminib. liberentur, quòd etiam in fœminis agere LIBERAM dicunt, ideoq. illi virilem corporis partem, huic vero fœmineam in templo poni. Hinc forsitan contigit, vt è nobis natos liberos appellemus.

Habuerunt autem LIBER & LIBERA vnum Romæ simul templum, quod apud Circum Maximum auctore Tacito lib. II. Annal. ab A. Postumio votum à Tiberio Cæsare instauratum. T. Liuius: *Supplicatio*, inquit, *ad Cereris*, LIBERI, LIBERÆQ. *fuit, quòd ex Sabinis terræ motus ingens, cum multis ædificiorum nunciatus erat.*

Meminit LIBERÆ & Cereris, sed & LIBERI, sed non simul, Cicero in VI. Verr.

Forte autẽ eadẽ hæc cum LIBERTATE, de qua hic paulò ante: nec omnino absurdum est. Quemadmodum enim Brutus patriæ liberator LIBERTATEM in numis suis expressit, ita & eius socius Cassius LIBERAM, sic vt eadem occasione liberata scilicet patria cudisse videatur.

LIBERAE.
& numo argenteo
Q. Cassij Q.F.

Vt Dea à Romanis est culta. EIVS ædes in foro olitorio fuit, quam Cic. II. de Legib. à Collatino consecratam, Liuius lib. XXI. fulmine ictam, lib. XXIV. ait conflagrasse, Q. Fabio & T. Sempronio Gracchо Coss. P. Victor SPEI nouũ templum in septima vrbis regione statuit, hoc est in Via Lata. Hesiod. lib. 1. ἔργων fingit Pandoram omnibus ornatam dotibus habuisse capsulam, qua aperta euolauit in orbem omne genus malorum & morborum, solamq. in fundo clausa clapsula SPEM restitisse in aduersis anchorã ac perfugium, quam tamen Origenes fabulam lib. IIII. aduersus Celsum deridet. Theognis quoq. Gnomologus SPEM inter homines ceteris sororib. in cœlum fugientib. ait remansisse.

Hinc isti versiculi circumferuntur, incerto autore:

Alma fides Dea magna abiit, Pietasq. Pudorq.
Cum Nemesi Charites, Pax bona, nudus Amor,
SPES *Dea, quæ gentes, falsa dulcedine semper*
Pasceret, in terris sola relicta fuit, &c.

Eius autem effigies in numis Hadriani apud Ant. Augustinum Dial. II. Antiq. spectatur. exstat scilicet femina, sinistra vestem parùm eleuans, dextra in cubitum elata pateram fert, in qua repositum est vas cum floris similitudine, cum hac Epigraphe: SPES P. R.

Quidam etiam viridi eam palla induerunt, & dolio cum cornice insidentem effinxerunt: quidam etiam cum Nemesi.

Ait Dion lib. L. ante bellum Actiacum cum aliis plerisq. ædificiis eius ædem incensam fuisse, quod factum quidam libertorũ opera putauerunt.

SPEI.
Ex numo argenteo C.
Clodij C. F. Vestalis.

CLEMENTIÆ etiam numen venerata est Antiquitas. In Cæsare refert Plutarch. Pop. Romanum post mortem Iulii Cæsaris CLEMENTIÆ eius templum voüisse & dedicasse, cuius singularis clementia & humanitas à M. Tullio in Marcelliana & Ligariana in cœlum extollitur. De hac Dea ita Claudianus:

Principiò magni custos CLEMENTIA *mundi*
Quæ Iouis incoluit Zonam, quæ temperat æthram
Frigoris & flammæ mediam, quæ maxima natu
Cælicolum: Nam prima chaos CLEMENTIA *soluit*
Congeriem miserata rudem, vultuq. sereno
Discussus tenebris in lucem sæcula fudit.
Hæc Dea pro templis, & thure calentibus aris
Te fruitur —— Idem alibi:

Nonne vides vt nostra soror CLEMENTIA, *tristes*
Obtundat gladios? ——

In Tiberii Cæsaris numis CLEMENTIA spectatur in auersa parte, & eiusdem alius cum inscriptione *Moderationis*, muliebri facie & vittata. In Vitellii sedentis habitu, altera manu laurum, hastam altera tenet.

CLEMENTIAE.
Ex numo aereo Tiberij Imp. Aug.

HANC M. Tullius sic describit: PIETAS, *iustitia est aduersus Deos, & cultus erga maiores & sanguine coniunctos.* D. Augustinus lib. IV. De Ciuitate: PIETAS *est verax Dei cultus, non cultus tot falsorum Deorum, quot dæmoniorum.* Sed hæc de virtute. Deam autem fuisse certum est. nam T. Liuius ait in foro olitorio ædem PIETATIS dicasse Manium Acilium Glabrionem duumvirum, statuamq. auratam, quæ prima fuit omnium in Italia, patris Glabrionis posuisse. Nam is erat qui eam ædem vouerat, quo die cum rege Antiocho ad Thermopylas pugnasset, locaueratq. idem ex S. C. Eo autem loco, quo habitaret mulier, quæ matrem in carcere inedia confectam vberib. suis aluit, ibidemq. imago rei historiam exprimens ostendebatur, vt est in v. apud Val. Max. cap. IV. & Plinium lib. VII. cap. LXV. vbi *Manius Acilius*, non *Marcus Attilius* legendum, qui cum L. Quinctio Flaminino anno V. C. DCIV. Cos. fuit. Solinus tamen & Festus patrem, non matrem, nutritum volunt.

Q. autem Cæcilius Metellus cognomento Pius meritò *Pietate* numos suos insigniit, cuius pietatem erga patrem omnes celebrant scriptores. Ciconiam autem, quæ PIETATIS symbolum est, adiunxit, quod parentes ætate fessos, teste Plinio lib. X. cap. XXIII. alis suis ferat, & nutriat, quam tantoperè Aristophanes in auib. prædicat.

Et D. Basilius. Quisquis plura desiderat legat prouerbium ἀντιτελαργεῖν & Hieroglyphica Horapollinis & Ioannis Pierii Valeriani. Memorabile est quod refert Christi Martyr Cornelius Musius de Ciconia Delphica in epigrammat. quod patrum nostrorum memoriâ accidit.

PIETATIS.

Ex numo argenteo
Q. Cęcil. Metelli Pij.

Q

HVIVS ædes à C. Iunio Bubulco Censore locata fuit, vt lib. IX. Liuius declarat, quam Consul bello Samnitum vouerat, mox idem Dictator dicauit. Hanc Pub. Victor in sexta vrbis regione, hoc est in Quirinali statuit.

Effingebatur mulieris forma in solio sedentis, & pateram tenentis, penes quam erat ara, aræ inuolutus anguis, caput extendens, vt in numis Manii Acilii, Traiani & Antonini Pii apud Ant. Augustinum Dialogo II. Antiquit. ostenditur. fortasse quòd serpens Aesculapio sacer sit Medicinæ inuentori, per quam valetudo & salus homini redditur.

Hygiia Græcis appellatur, cuius simulacrũ apud Sicyonios scribit Pausanias, vix videri potuisse, ad quod mulieres capillos dicabant, & in eius honorem sibi demebant.

Apud Romanos etiam augurium habebat, quod intermissum, Augustum legimus reuocasse. Vide Festum, Ciceronem, Liuium, Suetonium, Tacitum, Dionem.

Antiochus cognomento Soter militibus ὑγιείας symbolum pro tessera dedit pentagoni formâ teste Luciano. Hic cùm aduersus Galatas pugnaret, nec satis pro voto res succederet, essetq. in discrimine, vel vidit, vel vidisse simulauit per quietem, (vt militum animos spe erigeret) Alexandrum Magnum illum, qui moneret vt *Sanitatis* sijmbolum proponeret, idq. pro tessera tribunis daret, eorumque vestibus insueret: ea re fore, vt victoria potiretur.

Epitheta eius numi præferunt, qualia sunt:

SALVS PVBLICA.

SALVS REIP.

SALVS AVGVSTI.

Scribit Festus, *Salutarem* portam Romæ appellatam, quòd prope ædem Salutis esset.

SALVTIS.
Ex nummo argenteo
M. Acilij Nepotis.

DE eius origine Hesiodus in Theogonia, Phurnutus apud Gyraldum Syntagm. x. Colebatur in Attica, teste Pausania. Romæ etiam ædes *Virginis* VICTORIAE, prope ædem VICTORIAE, vt refert Liuius, Pub. Victor in octaua regione collocat: *Aedes*, inquit, *Victoriæ, cum alia ædicula Victoriæ virginis D. D. à Portio Catone Seniore fuit, & ædes prope ædiculam, quam L. Postumius ædilis Curulis ex multaticia pecunia curauit, Consul verò cum M. Attilio Regulo bello Samnitico dedicauit.* In hanc ædem Matrem Deûm Pessinunte Phrygiæ oppido aduectam, delatam fuisse legimus, donec ei ædes pretiosis statuis, & columnis, ceterisq. ornamentis Romani construxere, in cuius ædis dedicatione Megalesia celebrata. Halicarn. lib. I. ait templum VICTORIAE ab ipsis Arcadib. in colle Auentino fuisse constructum. L. Sulla primùm huic ludos, teste Cicerone & Asconio in Verrem, instituit.

Pingebatur alata, volans, coronam vel palmam proferens. hinc Prudentius:

Viuendi quæris dominam? sua dextera cuiq. est,
Et Deus omnipotens, non pexo crine virago,
Non nudo suspensa pede, strophioq. recincta,
Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.

Claudianus doctissimè quoq. eius mentionem facit. Aegyptii VICTORIAM pingentes, aquilam pingebãt, quia robore cæteras aues antecellit. Sine alis pingebant Athenienses, teste Pausania in Atticis. & in Laconicis ait ideo eos VICTORIAM ἄπτερον feciisse, ne scilicet Athenis euolaret. Ita & Lacedæmonii Martem catenatum habebant, ne se nimirum relinqueret, vt suprà. Extat in Florilegio Græcum Epigramma, in VICTORIAM Romæ alis carentem, quasi omen non auolaturæ, sed permansuræ Victoriæ:

Ρώμη παμβασίλεια τεὸν κλέος· δύποτ' ὀλεῖται.
Νίκη γάρ σε φυγεῖν ἄπτερος οὐ δύναται.

VICTORIAE.
Ex nummo argenteo
T. Carisij.

OVIDIVS hanc in Fastis *Chlorin* Zephyri coniugem facit, quæ à marito dotis loco omnem florum potestatē accepit. FLORAM & FAVLAM Lactantius lib. I. cap. XX. quam alii eandem putarunt, distinguit: *Nec Laurentiam*, inquit, *solam Romani meretricem coluerunt, sed Faulam quoq. quam Herculis scortum fuisse Verrius scribit.* Mox paullo subiungit. FLORA *cùm magnas opes ex arte meretricia quæsiuisset, Pop. Romanum scripsit heredem, certamq. pecuniam reliquit, cuius ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur, editione ludorum, quos appellabant Floralia, quod quia Senatui flagitiosum videbatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, vt pudendæ rei quædam dignitas adderetur, Deam finxerūt esse, quæ floribus præesset, eamq. oportere placari vt fruges cum arboribus aut vitibus bene prospereq. florescerent.*

Eius ludi *Florales* dicti, in quibus petulanter mulieres lasciuæ vagabantur. Nota historia de Catone ludos Florales anno VC. DCLVIII. a Mesio exhibitos ingresso, qui ob seueritatem & grauitatem à Fauonio monitus, exire compulsus est. Val. Max. lib. II. cap. III. Seneca epist. XCVIII. Et Martialis lib. I.

Nosces iocosæ dulce cùm sacrum Deæ,
Festosq. lusus, & licentiam vulgi,
Cur in Theatrum Cato seuere venisti?
An ideo tantum veneras vt exires?

Hi ludi V. Cal. Maii celebrantur, & Cal. ipsis, vnde mos adhuc hodie viget, vt eo die rami foribus præfigantur. Vid. Suidam. Pub. Victor FLORAE templum & circum in sexta vrbis regione collocat, hoc est in Quirinali. fuit simulacrum eius in æde Castoris & Pollucis à Praxitele summa industria formatum tunica indutum, in cuius dextra flores fabarum & ciceris erant, quæ scribit Porphyrion in ludis Floralibus populo Aediles spargere consueuisse.

FLORAE.

Ex nummo argenteo
C. Seruilij C.F.P.N.

declarat, quam Consul bello Samnitico voverat,
ator dicauit. Hanc Pub. Victor in foro vrbis regior
rmasi statuit
ebatur mulieris forma in solio sedentis, & pateram
quam erat ara, aræ inclutus
Manni Acilii, Traiani & Antonini Pii apud Ant.
o facer sit Medicinæ inuentor, per quam
uni redd
Græcis appellatur, cuius simulacri apud Scyonios fa
ias, vix videri po
eius honorem sibi demebant.
Romanos etiam augurium habebat, quod inc
legibus reuocatæ.
a, Tacitum, Dionem.
hus cognomento Soter imitatus
ht pentagoni forma tessa Luciano. Hic cum
gnaret, nec fatis pro voto res succederet, effetq.
vidisse simulauit per quietem,
ergerer) Alexandrum Magnum illum,
mbolum proponeret, idq. pro tessera tribuni
stibus inficeret, ea re fore, vt victoria potiretur
eius numi præferunt, quibus
SALVS PVBLICA
SALVS RVFI
SALVS AVG

DEORVM DEARVMQ. CAPITVM

FINIS.

TYPIS ROBERTI BRVNEAVI.